

Digitized by Google

X
V
7

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTITHÊSIS

QVA,

TAM FALSVM ESSE,

QVOD VICARIVS DEI

SIT ANTICHRISTVS,

QVAM FALSVM EST,

QVOD CHRISTVS

SIT ANTICHRISTVS,

DEMONSTRATVR,

Contra impij Guilielmi Vuitackeri hæretici Angli Thêsin, qua Romanum Pontificem esse illum Antichristum, quem venturum Scriptura prædixit, demonstrare conatur,

A BENEDICTO À BENEDICTIS VENETO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Angli olim Christiani hunc Catholicæ Ecclesiæ Pontificem loco Christi pie susceperunt,



Angli vero mo[illegible] Antichristiani loco Antichristi impie suscipiunt.

Bononiæ, Apud Bartholomæum Cocchium 1608.

Superiorum permissu.

Capuccinorum + Romæ.

Digitized by Google

Ego Magiſter Albertus Dialaitus Sac.Theol.Doctor Bonon. profeſſor Ordinis Carmelitarum, & in Bonon. Archigymnaſio Metaphyſicus publicus mandato Reuerendi admodum Patris Magiſtri Inquiſitoris Bonon. vidi, & diligenter perlegi Librum, cuius eſt titulus: Antitheſis Illuſtris Domini Benedicti e Benedictis contra Theſim Vuitackeri, & nihil in eo reperi, quod ſacroſanctæ Fidei, aut bonis moribus aduerſetur, dignumq; exiſtimaui, vt typis mandetur, & ab omnibus Catholicis legatur. In quorum fidem, &c.

Idem Magiſter Albertus, qui ſupra.

Viſa atteſtatione vt ſupra, conceditur licentia imprimendi.
Vicarius S.Officij Bonon.

Imprim. D.Tobias Corona Clericus Regularis S.Pauli pro Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Bononienſi.

Digitized by Google



PAVLO QVINTO PONTIFICI

Vniuerſalis Eccleſiæ Oecumenico, Summo totius Orbis Epiſcôpo,

Atque Monarchæ, & Supremo Vicedeo.



EMINI magis quam Tibi, Pontifex Maxime, qui D.Opt.Max. vicem geris in Terra, quæ de ſacræ Theologiæ materia ſcribuntur opera, congruere exiſtimo; cui Theologorum omnium ſupremo Iudici diuinitus electo, verum à falſo diſcernendi, Eccleſiæ controuerſias decernendi, dubia ſoluendi, articulos indeterminatos determinandi, ac Fidei Symbolum condendi à DEO Excelſo commiſſum fuiſſe munus Orthodoxi omnes omnium ſeculorum agnouerunt, & palam confeſſi ſunt. Papæ ſũma Poteſtas.

In quibus quidem propter Eccleſiæ firmitatem, poteſtatem & perpetuitatem ac DOMINI honorem, nolens, volens, errare non potes, iuxta verbum DEI, & communem Traditionis Eccleſiaſticæ fidem, quę nullatenus falli poteſt. Cumq; Papę Poteſtas hęreticis odioſa.

Digitized by Google

Veritatem Catholicorum roboras, hæreticorum condemnas errores, si Tibi maledicant hæretici, odio Te insectentur agresti, & infando Antichristi nomine traducant, non est quod mireris. Semper enim offendunt mala bonos, pia impios, sacra profanos, lasciuus disciplinam, virtutem vitiosus, innocentiam criminosus accusat: traducit reus Iustitiam, apostata Religionem, hæreticus Ecclesiam. Neque vero vmquam fere fuit hæreticus, qui CHRISTI Ecclesiam Antichristi esse non docuerit, quique eius Caput, Antichristum propterea non simulauerit.

Persuasio hæreticorum perpetua.

Iudæi etiam ipsum CHRISTVM Antichristi loco susceperunt, & loco CHRISTI Antichristum suscipient CHRISTO ipso teste. Sic impijs continget hæreticis, qui DEI Vicarium suscipere nolentes, Antichristum admittũt & patrem eius Diabolum. Propter quod Saluator noster tuum Prædecessorem D. PETRVM his verbis admonuit, Hæreticis dicentibus, ecce hîc Christus est, ne credas, quoniam mendaces sunt, & tamquam spiritu mẽdacij seducti, ibi CHRISTVM esse iactant, vbi non est, & Antichristum non esse autumant, vbi re vera est. Delirant enim credentes CHRISTVM nõ esse Romæ, vbi nimirũ CHRISTVS est; & apud se non esse Antichristum, in ipsisque hæreticis suis præcursoribus, in suoque regno cum tamen vere sit.

Quibus

Digitized by Google

Quibus si credendum non est, quantumuis serio asserentibus CHRISTVM hîc esse, vel illîc, cum tamen is vbi reuera sit neminem prætereat: quanto minus nugantibus illis Antichristum esse hîc, vel illîc, qui nondum natus est, cumque nascetur, priusquam pateat, necesse est, vt retegatur, credendum erit? Eo minus quandoquidem, vt assolent hæretici, ponunt mendacia, quæ recitasse, confutasse est, videlicet quod Sanctitas tua quæ Episcopôs agnoscit fratres, fideles filios sentit, Vicarium Dominici populi credit, & Seruum Seruorum D. & D.N.I.C. se palam passimque fatetur, dicat se esse Deum, efferat se supra ipsum Deum, sicut perpetrabit Antichristus, qui CHRISTŌ Tibique modis oībus aduersando se sic perperam iactaturum esse Scriptura prædixit.

Hæretici nulla fide digni.

Mentiendi hæreticis viuū perenne.

Atque fingunt impie Antichristum qui adhuc non venit à CHRISTO anno sexcentesimo venisse, Romæque esse illum, quem DEI Vicarium omnes Christiani semper agnouerunt, omnes Sancti Caput Ecclesiæ semper vocauerunt, omnes Patres Presulem Regni Dominici semper affirmauerunt, omnes Doctores Oecumenicū vniuersæ Christianitatis Pastorem semper tradiderunt, omnes Theologi Clauigerū Cœlorum semper crediderunt, omnia Concilia confessa sunt semper, omnes Reges, omnes Cæsares Christianismi sunt semper eximie venerati, à quo omnes

Sycophātia hæreticorum ineptissima.

hæreses

hæreſes cum ſuis auctoribus ſunt condemnatæ, per quem CHRISTVS multis regionibus ignotus, agnitus eſt, CHRISTI Regnum dilatatum, amplificatum, glorificatum eſt, Eccleſia gubernata, doctrina aucta, fide firmata, ſanctitate decorata, miraculis illuſtrata, regimine cuſtodita, & à portis inferi illibata & inoffenſa hucusque ſeruata, quemadmodum CHRISTVS voluit, & curauit, Antichriſtum eſſe blaſphemant, huncq; tempore D. PAVLI Primi adultum fuiſſe, & Pauli Quinti ætate ſenem eſſe impius Vuitackêrus cauillatur.

Nouatores Antichriſti emiſſarij.

Ita quidem debacchati ſunt præcipui Antichriſti emiſſarij, cyclopes Germaniæ, Galliæ, & Angliæ: magna enim eſt multitudo ſtultorum, maior faſcinatorũ, maxima vero impiorum, qui hoc ſectantur Antichriſti dogma à Satana ſuggeſtum, autumantes CHRISTI ECCLESIAM Antichriſti ſynagogam effectam eſſe, iam multis erroribus labefactatam, & ante plura ſecula penitus euerſam, quam tamen ROMANAM CHRISTI ECCLESIAM CHRISTVS perpetuam conſtituit, impeccabilem ſanxit, & à portis inferorum inexpugnabilem prædixit, & talem vſque ad hunc diem cuſtodiuit.

Theſis Vuitackeri qualis.

Hos Illuſtriſſimus & doctiſſimus Cardinalis Bellarminus, eruditiſſimus Sanderus, cũ eloquenter, tum erudite confutarunt, ipſe vero Thêſin (quan-

(quantum vidi à nullo ex professo confutatam) imposturis, sycophantijs, mendacijs, contumeliosissimis calumnijs & calumniosissimis contumelijs, & blasphemijs plane infernalibus plenam; vna cum eius auctore impio in Anglia hæretico Guilielmo Vuitackêro confutandam suscepi, Tibique congruentissime (vt debeo) dedicandam decreui.

Quare mihi summum omnium erit solatium, pollicente DOMINO, quod factum erit in Cœlo, quod ipse facis in Terra, vt inter eos, qui caussam Christianæ Religionis, Maiestatem, Auctoritatemque Vniuersalis in Ecclesia Pontificis, defendendam susceperunt, à Tua Beatitudine præ ingenti clementia recensear.

T. S.

Seruorum infimus

Benedictus Benedictius.

AD

Epistola
AD LECTOREM
CHRISTIANVM.

Felicitas Ecclesiæ nimis displicet hæreticis.



HRISTI Fides cum omni veritate repleatur, DEIque Ecclesia hanc retineat, non mirabitur Lector Christianæ Fidei cultor, & Ecclesiæ Dei studiosus, si IESV Christi Fides propter Ecclesiam & Ecclesia propter Fidem odio habeatur & inuideatur ab hæreticis. Veritas amara est mendacibus, Felicitas acerba miseris, Pietas inuisa impijs. Primos Veritas expellit, alios exturbat Ecclesia. Veritas illos mordet, hos extorquet Felicitas, Pietasq; diuexat. CHRISTVS in Veritate Christianæ Fidei auctor est, idemque Ecclesiæ felicitatem donauit, Pietatemque in ipsa plantauit. Hoc autem potissimum fecisse probatur, quando Ecclesiam super D. PETRVM ædificandam à se prædixit verissime, ipsumque suum Vicarium instituit, suum ius Monarchicum cessit, Clauigerum Regni Cælorum creauit, & super hunc paulatim suam ædificauit Ecclesiam, Pietate in æternum firmauit, auxit virtute, probauit miraculis, doctrina illustrauit, Martyribus consecrauit, Fide muniuit, singulari prouidentia gubernauit, intemerato cultu custodiuit, regimine extulit, Cæsaribus & Regibus mundi præposuit, sanctitate ornauit, Cælestibus priuilegijs decorauit, & semper inexpugnabilem portis inferorum effecit. Propter quod hæretici spiritu

men-

Digitized by Google

mendacij, inuidentiæ, ac impietatis exagitati tantã mundi gloriam, tantam Christianæ Religionis felicitatem ac Pietatem ferre non possunt: vnde fit, vt nullum omittant studium, nullum remittant conatum, quin Ecclesiæ pacem perturbent, detrahant Ecclesiasticis, in Ecclesiæ Caput capita sua allidant, quamquam infringantur, & pereant: vt.n. ROMANÆ ECCLESIÆ felicitatem insultent, fas nefasque confundunt, non curant mentiri, paruipendunt Impudentiæ, Pertinaciæ, Improbitatis, Impietatis, & omnium calumniarum, conuitiorum & blasphœmiarum notas, contemnunt Patres, Concilia negligunt, Fidem omnium seculorum ne teruncij quidem faciunt, Decreta & Canones improbant, Doctores sacros criminãtur, Theologos calumniantur, Sanctis maledicere nõ horrent, Fidei, Religioni, Pietati, Cultui abrenunciare audent, verbum DEI contorquere non verentur, non metunt Ecclesiam despectui habere, non timent CHRISTI Sacramenta pessundare, non pauent CHRISTVM insectari, nec tremunt DEVM ipsum horribiliter blasphemare.

Hæretici Ecclesiæ perpetui hostes Romanæ.

Calumniarũ hæreticarũ nõ est finis.

Cumque flagitia hæc iam omnes admittant hæretici, aßueti mendacijs, excœcati odio, inuidiæ liuore correpti, ad contumelias & ad conuitia nati, hoc vno cuncta impietatis opera perpetrant, qui in gratiam Diaboli ipsissimum DEI Vicarium sine fine impudenter & mendaciter Antichristũ esse prædicant, sic persuasi à Satana, quo totũ Ecclesiæ fundamentũ, quod CHRISTVS in ROMANA ECCLESIA reposuit, subruatur, quo

Conscientia hæreticorum cauterijs perforata.

Digitized by Google

subruto totum Ecclesię Christianę ędificium labatur, & subruatur, tota Ecclesia notetur, sugilletur, falsa esse credatur, nulla vnquam fuisse probetur, & quę semper fuit, quę est, & quę futura est inexpugnabilis à portis inferi CHRISTO teste, ad nihilum redigatur, nullaque vnquam fuisse, nec esse CHRISTI Ecclesia credatur.

Hoc autem docere frustra plane conatus est impius Anglorum hęreticus Guilielmus Vuitackerus, qui non contentus tot notis ac nęuis Antichristi insignis à Catholicis scriptoribus, in tantam impietatem prolapsus est, vt temulentus odio, liuore ebrius, rabie correptus, insania repletus, furoreque refertus, in Romanum Pontificem in Ecclesia omnium altissimum inuectus ac debacchatus sit, huncque esse Antichristum nimium temere ac sacrilege traducat, & seipse Antichristum de numero plurali, Antichristi singularis numeri, qui futurus à Christianis omnibus adhuc expectatur, emissariũ toti orbi prodat. In quo quantam imperitiam, impudentiam, improbitatem, impietatem, mẽdaciorum colluuionem, contumeliarum globum, calumniarum, conuitiorum, blasphemiarum sentinam, imposturarum item Scripturarum sacrarum deprauationes in medium proferat, incorruptus Lector legendo agnoscet. Valeat.

TABV-

Digitized by Google

TABVLA RERVM,

QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Hæretici

Papa

R

S

T

V

INDEX

Digitized by Google

INDEX AVCTORVM QVI HOC LIBRO IN MEDIVM AFFERVNTVR.

Olym-

Digitized by Google

O

D. OLYMPIODORVS Philosophus.

P

PAulus Tertius Pont. Max.
Petrus Lombardus.
Polinus.
D. PRIMASIVS Episcopus Vticensis.
D. PROSPER Aquitanicus.

R

ROdulphus Flauiacensis.
Ruffinus Presbyter.

S

SEdulius Poeta Christianus.

T

D. THEODORETVS Cyrensis.
D. THOMAS Aquinas.
Thomas Strapletonus.
Tertullianus Carthaginensis.


Ex Infidelibus.

HOratius, Lutherus hæresiarcha, Caluinus hæresiarcha, Ochinus, Beza, Bucerus, Aschamus Anglus, Henricus Octauus rex Angliæ, Aegydius Hunnius, Guilielmus VuitacKerus, & al.

ERRATA.

In Ded. linea 2. lege condemnas, l.5. bonos, Præf. abundat. fac.17. l.10. futuræ. f.18. l.13. Octauum. f.21. l.8. Antistiti. lin.21. dedant. f.41. l.7. impudentissimum monstrum. f.44. l.vlt. sitibundæ. f.45. l.1. post, facis, ad. ait, cui pro. f.47. l.1. scelestissimum. l.12 Eduuardum Reg. fac.58. l.16. statuarum. fac.62. l 15. flagitiorum. fac.63. l.4. spurcissimus. f.69. l.19. dominium. f.70. l.13. sine. l.21. ob. f.71. l.10. vnam. f.72. postil. de Eccl. f.74. l.3. quia. 4. del. sit, le. dicitur. f.79. po. se. f.94. po. sese. f.108. l.16. Constantinum. f.111. l.12. hoc. f.117. l.7. improbissime. f.118. po. Angliæ. f.122. l.10. ad. est. f.123. po. XVI. le. XIIX. f.126. l.8. sexdecim, l.9 decē octo. f.127. l.17. bene. f.132. p. reprehenduntur ab hæreticis. f.137. l.8. ceteros Orthodoxos. f.142. f.7. nasum. f.143. l.4. monet. f.144. l.10. clauium. f.145. p. del. a. leg. expleta. f.149. l.26. fecerunt. l.28. execrabilis. f.150. l.1. detestabilis. f.156. l.10. consilia. f.160. l.7. hypocrisi. f.170. l.vlt. iustissime. f.175. l.14. Caput. l.23. perfidia, l.25. quiescit. f.183. postil. adhortatio.

THESIS



THESIS PROPOSITA, ET DEFENSA A GVILIELMO VVITACKERO THEOLOGIAE PROFESSORE REGIO

Hæreticus.

In Academia Cantabrigensi die Comitiorum.

Pontifex Romanus est ille Antichristus, quem futurum Scriptura prædixit.

REM magnam aggredior, viri præstantissimi, plenamque discrimine ac difficultate, vt Pontificem Romanum, qui se Christi Summum in terris Vicarium, Petri successorem, Caput Ecclesiæ Christianæ, Episcoporum omnium Principem, Catholicorum maximè Catholicum, oraculum quoddam Religionis, & Deum inter homines mortalem profitetur, eum ego ipsissimum esse Antichristum, Dei hostem, Christi perduellem, Religionis aduersarium, hæreseōs antistitem, Ecclesiæ parricidam, in hac tanta doctissimorum hominum celebritate doceam, ac defendam.

Digitized by Google

Catholicus.

ANTITHESIS

Contra Thesim impij hæretici Guilielmi Vuitackeri, per quam luce ipsissima meridiana clarius multis modis hoc demonstratur,

QVOD

Tam falsum est, Pontificem Romanum esse Antichristum, quam falsum est CHRISTVM esse Antichristum.

Guilielmus Vuitackerus nulla fide dignus.



REM re vera magnam aggreditur, plenamq; discrimine ac difficultate, qui Falsitatem pro Veritate, Mendacium pro Euangelio, ac Impietatem pro Pietate docere ac defendere instituit. Et is nimirum est Vuitackerus, cui primas tam licite, quam digne
I. concedo. Primo: quia hæreticus, vt iste procul omni controuersia est, nulla fide dignus à Chri-
II. stianis habetur. Secundo: quia ipse est hęreticus
III. totius orbis auctoritate condemnatus. Tertio: quia degenerat à fide olim Christiani Regni Anglici, & quasi rebellis aduersatur Patribus, Præsulibus, Episcopis ac Regibus Christianis
IV. omnibus vniuersi Anglici Regni. Quarto: quod Sanctis Anglicis, sicut ac ceteris Cœlitibus reluctatur, cum hi præ mortalibus Diuino SPIRITVS SANCTI lumine vegetati fuêre, quorum auctoritas vitæ sanctitate roboratur,

robore

Digitized by Google

robore illuminatæ fidei augetur, miraculis, quibus ipſos illuſtrauit DEVS, eximie cõfirmatur. Quinto: quia reclamat Doctrinę communi omnium Veterum ac recentioris ſeculi præteriti Doctorũ, ad quam accedit vniuerſa cunctorum ſeculorum Chriſtianitas. Sexto: quoniam pugnat contra Martyres, qui Fidem noſtram Catholicam pio cruore conſtabiliuêre, ac paucis potiſſime annis præteritis pro veriſſimo CHRISTI Vicario B. IOANNES Fiſcherius, & B. THOMAS Morus glorioſi, apud Chriſtianos, Martyres palmã reportarunt. Septimo: quõ Vuicleuiſtis Vuicleuo Anglo auctore, qui epiſtola ſua ad Vrbanum Sextum Pontificem Maximum ſcripta catholice credit, & tradit eum eſſe CHRISTI Vicarium, ex diametro repugnat. Octauo: quod ob id & multa impietatis documenta ab ipſis condemnatur, & confutatur hæreticis. Nono: quia hoc Angliæ monſtrum à Thoma Strapletono Anglo doctiſſimo Catholico, & ab alijs mendaciorum & hęreſum reprehenditur, atque notatur. Decimo: quia affirmat rem magnam ſe aggredi, cum eadem perſuaſione seducti ſui illi onerandiſſimi ſpectatores, nihil hac maius habeant perſuaſum, nihil audiant libentius, nihilque gratius iudicent, quippe qui ab impijs hęreticis ſeducuntur ac ſeducti ſunt, & propterea explodũtur, excom-

V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

Anglia Vuitacke ro ſeducti.

A 2 muni-

municantur, Diaboloque mancipantur ab ipsissimo Summoque DEI Vicario.

Thesis Vuitackeri næuis Antichristi insignis.

In qua quidem sua Thesi notis næuisque domini sui Antichristi insignis, quam temere, hostiliter, maligne, falso mẽdaciter, sycophantice, praue, impudenter, improbe, impie, atque diabolice obloquetur istud hæreticę Anglię infelicissimum monstrum, æquus quisq; ac Christianus lector quam facile iudicabit. Quamobrem ipsa eiusdem verba sic in eius caput de verbo ad verbum nullo negocio, plena veritate regeram.

Verba Thesis Vuitackeri caput eius regeruntur.

Rem magnam aggredior, viri seductissimi, plenaq; crimine ac falsitate, vt Pontificem Romanum, quem Christi Summum in terris Vicarium, Petri Successorem, Caput Ecclesiæ Christianæ, Episcoporum omnium Principem, Catholicorum maxime Catholicum, oraculum quoddam Religionis, & Deum inter homines mortalem Christiani omnes quotquot fuerunt, profitentur, eum quasi Antichristum ego ipsissimus Antichristus, Dei hostis, Christi perduellis, Religionis aduersarius, hæreseωs antistes, Ecclesiæ fratricida in hac tanta indoctissimorum hominum sceleritate traducam, doceam ac defendam.

Hæreticus.

Verum animis paulisper adeste, qui adestis corporibus, & si minus forsan recte hactenus de improbissimo monstro iudicare propter communem errorem potuistis,

nunc

Digitized by Google

nunc tandem depositis coniecturis veram sententiam suscipite, & quem Scriptura prædixit, tempus patefecit, Ecclesia multis seculis protulit Antichristum, agnoscite, conspuite, diris inferis deuouete.

Quam egregie confirmat, quæ dixi, dum maledicentia circuit, mendacijs discurrit, impudentissimis calumnijs procedit, conuitijs sacrilegis progreditur, maledictis mæretricijs prosequitur, prauis sycophantijs graditur, impijs lædorijs descēdit, & Satanicis blasphemijs vna cum Satana magistro suo ad Infernum demergitur. Catholicus.

Oraculum se Auerni præsefert mostrum Angliæ, ac exitialissimum Anglorum draconem. Cumq; sit improbissimus se esse mentitur. Errorem tāquam Veritatem vendit, & mendacium pro Euāgelio mutuat, Scripturę iniurię subijcit, Ecclesiam perperam traducit, hæreticos ante hoc seculum prę nimio odio calumnię loco Pontificem Maximum vocasse Antichristum ignorat, aut certe ignorare fingit, synagogam Satanæ doctoris sui veluti CHRISTI ECCLESIAM suscipit, & cum sit ipse perfidiosa infidelitate Iudæus ac ipsi quidem Iudæis deterior, & adeo conspuendus ab omibus, alterum potius qui CHRISTI vicem gerit suggerēte Satana conspui iubet, & quasi inferorum pręcipuus cyclops diris inferis hunc deuouere demādat. Quare sic in eum ipsius verba cōuertam. Perditū Vuitackeri studiū.

Verum

Verum animis inferno adeste, qui orco adestis corporibus, & si minus forsan certe hactenus de improbissimo hoc monstro peccare propter communem errorem potuistis, nūc tandem depositis deliramentis, ream sententiam suscipite, & quem nec Scriptura prædixit, nec tempus patefecit, & Ecclesia multis seculis explosit Antichristum, agnoscite, me ceu Christiani conspuite, diris inferis deuouete.

Hæreticus.

Quid enim & libere sentire, & loqui aperte dubitemus, aut quid omnino in causa tam necessaria, & manifesta claudicemus?

Catholicus. Vuitackerus à veritate abhorret.

Quam turpiter à veritate claudicat, & aberrat, tam turpiter magna impudentia loquitur, & impie sentit, nō de re dubia, sed omnino necessaria inter ipsius fidei scilicet perfidiæ hæreticę symbolum reponēda, quam Deus suus, videlicet Satan per reuelationem nocturnam ac tenebrosam patefecit.

A quo si quispiam petit, quomodo hæresis tam necessaria scitu tibi retecta est? respondet: quia res est indubia. Quem si quis rursum interroget. Quare est indubia? respondet: quia est necessaria. Quo pacto scis tu, quod est necessaria? quia, dicit, mihi est manifesta. Quis tibi hanc fecit manifestam? quia nō est dubia. Cur autem non est dubia? quoniam est necessaria. Quare necessaria? quia, inquit, est manifesta.

Quam-

Digitized by Google

Quamobrem ipſius deteſtabilis hæretici verba ſic potius erant componenda.

Quid ergo, & libere ſentire, & loqui aperte audemus, aut quid omnino in cauſa tam nefaria, & manifeſta clam dicemus?

Si Pontifex Romanus ſit Antichriſtus, quem eſſe, niſi prudentes errare volumus, non poſſumus ignorare, quid amplius, aut alium Antichriſtum expectamus, aut non hunc Antichriſtum appellamus. Hæreticus.

Si Pontifex Romanus ſit Antichriſtus, quem non eſſe, niſi prudentes errare volumus, nõ poſſumus ignorare, quid amplius, aut Antichriſtum non expectamus, aut non alienum Antichriſtum appellamus. Catholicus.

Spero autem poſtquam dicta cauſa eſt, nulli veſtrum fore dubiũ, quin ille eximius Pontifex, qui ſe tantopere iactat, verus ſit & vnicus Antichriſtus, vt qui perire perpetuo nolunt, hunc execrari, & huius ſocietatem fugere debeant. Hæreticus.

Quibus technis vtitur, quas nugas blaterat, quibus conuitijs Pontificem Eccleſiæ CHRISTI Oecumenicum inceſſit, quis non videt? quis non execratur? iactat ſe velle indubitate tradere, quod ſcio numquam faciet, Pontificem Maximum Antichriſtum eſſe. Iactantiæ vitio laborat, & tamen eiuſdem vitij nomine traducit Pontificẽ DEI, qui nõ dominãdi cupiditate, ſed veritatis officio Vicarium vna cum vniuerſa Vuitackerus iactãtiæ vitio laborat. Catholicus.

CHRI-

CHRISTI Ecclesia, quę fuit, q̄ est, & quę futura est, certissimũ & verissimum se credit ac tradit.

Nititur deinde persuadere eũ esse Antichristum, qui seductis suis illis nebulonibus plusquã procaciter & perdite Antichristus esse iam creditur. Et vt facilius seducat seductor ille amaro zelo imbutus, se nolle eos perire fingit, eumque execrari ac fugere, CHRISTO deserto, & contempto præcipit.

Spero (dici potius debuit) postquam dicta causa est, nulli vestrum fore dubium, quin ille sit eximius Pontifex Ecclesiæ qui me tantopere iacto, cum sim verus, & vnicus Antichristi prodromus, vt qui perire perpetuo nolunt, me execrari, & societatem meam fugere debeant.

Hæreticus. *Agam autem quemadmodum disputãdi recta ratio præscribit, vt quod institui κατασκευαστικῶς Scripturarum auctoritate concludam, quidquid est argumentorum, quod cum causa pugnare videatur; id totum in oratione prætermittam.*

Catholicus. Hæreticorum mos perpetu[us]. Sacius fecisset vtique si hanc Thesim tam impudentem, tam sacrilegam, & tam impiam prętermisset. Vel enim ex hoc vno se inter hæreticos conijciendum ostendit, cum nonnihil de Scriptura contra Catholicam Ecclesiam iactet, in quo mos est hæreticorum perpetuus, qui nihil aliud habent, quo facilius seducant, ac expeditius perdãt, quam Scripturam iactare, eam

vero

vero quantumlibet extorquere, & nonniſi mentis eorum impetus, deliria, & ſuggeſtiones diabolicas docere. Proinde ſic loqui hæretico congruebat.

Auctor. epiſto. ad Lect. lib. Iaculo. E. C.

Agã autẽ quemadmodũ diſputãdi recta ratio preſcribit, vt quod inſtitui κατασκευαστικῶς Scripturarum iactantia, & detorſione concludam, quidquid eſt argumentorum, quod cum cauſa pugnare vere videatur, id totum cum tergiuerſatione pretermittam.

Hæreticus.

Nunc enim rem exponere ac demonſtrare debeo; aduerſariorum argumenta tum diluere, quando ad reſpondendum accedo.

Catholicus.

Quamuis ſciam certe numquam id quod aſſumis, demõſtrabis Anglice heretice, velim tamen vt aliquando rem perſequeris, & tot fũtiles tuas nugas omitteres, ſicque ſerio diceres.

Nunc enim rem explodere ac deſtruere debeo, & argumenta non diluere, quando ad reſpondendum accedo.

Hæreticus.

Summam autem initio, quod mihi neceſſarium tribuendum eſt, deſcriptum eſſe in Scriptura veriſſimis certiſſimisque notis Antichriſtum, vt neque vllum extra Scripturas Antichriſtum fingamus, & illum eſſe re vera Antichriſtum, cui illa omnia apertiſſime conueniunt, quæcumque in Scripturis legimus, pro certo affirmemus.

Catholicus.

Vtinã quandoque aggrediaris tuũ impietatis

Digitized by Google

incœptum, non tandiù animum suspenderes; quamquam nemo sanę mentis, vel plusculum addubitat, te numquam, quod polliceris, exhibiturum. Quinimo ex Scripturis potius Henricum Octauum olim Anglici Regni Christiani, Antichristi notis ac nęuis insignissimum, nisi quoniam oculos colubrinos, non autem columbinos refers, & talpis cœciorem ad perspicuam lucem te offers, persentires. Nisi enim plusquam lippis oculis infestaris, videres luce lucidius meridiana, quęcumque de Antichristo in Scriptura tradũtur, nihil omnino, nec vno quidem iota ad Romanum Pontificem verissimum & certissimum IESV CHRISTI Vicarium pertinere. Animaduerteres insuper, nisi te Satan summopere possideret, ex Scriptura te tuique similes Antichristos esse doceri, atque notari. Atque diceres potius.

Summam autem initio, quod mihi hęretico tribuendum est, descriptum esse in Scriptura certissimis & verissimis notis Antichristum, vt neque vllum extra Scripturam iuxta Ecclesię Orthodoxę communem assertionem Antichristum fingamus, & illum esse re vera Antichristum, cui illa omnia aptissime conueniunt, quęcumque in Scripturis legimus, pro certo affirmemus.

Hæreticus. *Nam aut hoc necessarium erit, aut Antichristum nobis*

bis Spiritus Sanctus male definiuit; quod dici ſine blaſphemia non poteſt.

O os impudens atque in SPIRITVM SANCTVM blaſphemum, non te pudet tam horribiliter blaſphemare. Cum ille non ſolum ſit Scripturę auctor, ſed etiam eiuſdem declarator, quippe ad hoc in Eccleſiam Catholicam vſque initio promiſſus & miſſus fuit, vt doceret Eccleſiam omnē veritatem teſte CHRISTO. Quę cum apertiſſime ipſa eadem Eccleſia ineunte, & ipſo SPIRITV SANCTO illam eximie docente, & eidem mirabiliter fauente, contrariam prorſus modis omnibus ſententiam tuę tuorumque ſimilium lymphatorum Satanę miniſtrorum perſuaſioni longe aliarum impijſſimę, tuetur atque notat: eadem iam te pluſquam enucleate in Scripturam, in ipſum Scripturę ſacræ Auctorem & enucleatorem blaſphamare arguit. Ceterum velim, vt ſic tuum temperaſſes ſermonem. Catholicus.

Nam aut hoc neceſſarium eſt, aut alium Antichriſtum nobis SPIRITVS SANCTVS definiuit, qđ negari ſine blaſphemia non poteſt:

Itaque hoc ponam ſententiæ defenſionisque meæ fundamentum, & Antichriſto Scripturam tradidiſſe quidquid de Antichriſto ſcire Eccleſia debuit, illumq; eſſe ſine omni controuerſia verum, vel falſum potius Antichriſtum, in quo illæ notæ hærent, quibus Anti- Hæreticus.

 Antithesis, qua sicut Christus non est Antichristus, christum Spiritus Sanctus depingere, eiusque viuam quodammodo propriam effigiem proponere spectandam voluit.

Catholicus.

Inane hæreticorũ fundamẽtum.

Inane plane iacis fundamentum, quod est tamen fundamentum fundamentorum iactum semper ab hereticis, quod nemo potuit ponere, nisi quod positum est à Diabolo patre eorum. Scripturam sumis, sed eamdem consumis, ad Scripturæ litteras ac mucleũ cõfugis, sed à sensu refugis. Docemur nos qui Christiani sumus à D. PAVLO Scripturam occidere, spiritum viuificare. Itidem à Magistro nostro CHRISTO erudimur, qui in exemplum nostrum, Iudæos iubet custodire ac diligenter seruare quecumq; docuerint, dixerint, ac declararint de Legis intelligentia Scribæ, & Pharisæi, qui super Cathedram Mosis sedebant, vt erudirent populum. Idem etiam arguit ex eisdem quosdã, vbi dicit: Vobis qui habetis claues scientie. Quibus Scripture intelligentiam obscuram, clausam, & ideo aperiendam & declarandam edisseruit. Quod & predixit iam olim Propheta: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Ideo proculdubio totum tuum fundamentum sua inanitate euersum super te homuncionem profligatissimum mortalium ponetur: Vnde ex his quisque quale edificium super tale fundamentum futurum sit, existima-

re po-

re poterit. Quapropter sic dicat hęreticus.

Itaque hoc ponam sententiæ defensionisque meæ fundamentum de Antichristo Scripturæ intelligentiam ab vniuersa Ecclesia per SPIRITVM SANCTVM traditam, quam quidem de Antichristo Ecclesia scire debuit, illumque esse sine omni controuersia verum, vel falsum potius Antichristum, in quo illæ notę hęrent, quibus Antichristum SPIRITVS SANCTVS cum in Scriptura, tum in Ecclesia depingere, eiusque viuam quodammodo propriamque effigiem proponere spectandam voluit.

Quæ verò in totis Scripturis de Antichristo præscribuntur, ea & Romano Pontifici singula congruere, & vniuersa nulli præterea poße tribui defendo. Hæreticus.

Quæ vero in totis Scripturis de Antichristo præscribuntur, ea nec Romano Pontifici singula congruere, nec vniuersa illi præterea posse tribui defendo. Catholicus.

Sumitur autem Antichristi in Scripturis dupliciter nomen, vel communiter, vel proprie. Quemadmodum enim Christi nomen ad eos omnes interdum accommodatur, qui cum Christo habent in vnctione similitudinem, quales erant Prophetæ, Reges, Sacerdotes, & cuiusmodi est, quod Propheta habet Psalm. 104. Nolite attingere Christos meos, interdum vero proprie, pro ipso Dei filio in carne patefacto, nostro Redemptore, & Ser- Hæreticus.

& Seruatore Iesu Christo: ita nomen Antichristi nunc in Scripturis accipitur pro quouis aduersario Christi, quemadmodum 1. Ioan. 2. Nunc Antichristi multi sunt, idest, multi sunt apostatæ, qui Christi puram doctrinam corrumpere conantur, grassari cœperunt: nunc proprie pro illo summo Antichristo, qui non in vna re, aut altera, sed in tota quodammodo Religione, Regnoq; Christi, ipsum Christum audacissime oppugnat.

Catholicus. Admitto hanc distinctionem, alteram vero regi Henrico apte congruere, alteram tibi apostatę, qui puram doctrinam antea tot annis corrumpere tentas, quadrare mirum in modum affirmo. Cum enim CHRISTI Regnum euertere & destruere conaris, qui cõquadrare aptius te ac tuis profecto gregalibus in Anglia, in Germania, & in Gallia possit, numquam nusquam reperiet. Nemo te nocentior in Regnũ CHRISTI, nemo plusquam tu in CHRISTVM blasphemus, cum eius Successorem in Antichristum conuerti moliris. Nemo minus te seruat præceptũ Dominicum, quod tu ipse in medium producis: Nolite tangere Christos meos, cum omnes Sanctos, omnes Beatos, omnes Cœlites, omnes Sacerdotes, omnes Episcopos, & omnes Pontifices Oecumenicos CHRISTI Antichristi regno subiaces. O bone DEVS, in quęnam me seruasti tempora, vt cum D. POLYCARPO Martyre sanctissimo perorẽ, vt isthęc

D. Polycarpus.

anteam-

anteambulonis Antichristi blasphema in te audiam? sed in despectum hæretici dicimus, quod ipse potius dicere debuisset.

Sumitur autem Antichristi in Scripturis dupliciter nomen, vel communiter, vel proprie. O pueri scientia magistri tenebrarum. Quemadmodum enim CHRISTI Nomen ad eos oẽs interdum accommodatur, qui cum CHRISTO habent in vnctione similitudinem, quales erant Prophetæ, Reges, Sacerdotes, & cuiusmodi est, quod Propheta habet Psalm. 104. Nolite attingere Christos meos, interdũ vero proprie, pro ipso DEI Filio in carne patefacto, nostro Redemptore, & Seruatore IESV CHRISTO: ita nomen Antichristi nunc in Scripturis accipitur pro quouis aduersario CHRISTI, cuius loco recte adnumeror, quemadmodum 1. Ioan. 2. Nunc Antichristi multi sunt; idest, multi nunc (scilicet in Anglia) apostatę, qui Christi puram doctrinam corrumpere conãtur, grassari quam Antichristianissime hic & alibi cœperunt: nũc proprie pro illo sũmo Antichristo, qui non in vna re, aut altera, sed in tota quodãmodo Religione, Regnoque Christi, ipsum Christum, dum hîc omnes Christianos impie persequimur, & sacrilege abominamur, audacissime oppugnat.

Sic locutus est de Antichristo Ioannes eodẽ in loco, Hæreticus.

quando

 Antithesis, qua sicut Christus non est Antichristus, quando ait, Pueruli vltima hora est; & sicut audiuistis Antichristum euenturum, & quæ sequuntur. De hoc Antichristo intelligenda sunt, quæ scripsit Paulus in 2. ad Thessalon. epist. cap. 2. Est ergo nobis instituenda oratio, non de illis minutis multisque Antichristis, qui futuræ ἀποςασίας & horrendi Antichristianismi semina sparserunt, sed de illo eximio Antichristo, qui Christo per omnia aduersatur, & cuius illi anteambulones exiterunt.

Catholicus. Placet tibi omittere Antichristos tuos scilicet magistros, auos, parẽtes, fratres & gregales, qui horrẽdi Antichristianismi semina sparserũt in Anglia, in Germania, & in Gallia, vt pote impijssimus Lutherus, pessimus Caluinus, improbissimus Bucerus, nequissimus Samson, & blasphemus tuus Anglus Coubrius, quo magistro nemo seculis præterlapsis auditus est tam sacrilegas in CHRISTVM aperte proferre blasphemias, quarum quasdam Catholicus Anglus doctissimus Alanus Copus notauit in Dialogo illo, quo iure meritissimo Magdeburgenses tuos notat, & sugillat quam plurimum.

Alanus in Dialog. Vitiũ hæreticorũ solenne.

Ceterum cum vt peritis liquet perenne hereticorum sit vitium, vt doceant, quæ falsa sunt, quæ vero vera sunt, sibi ipsis aduersa, sileant, ac subterfugiant, quod instituti tui sit, Antichristum docere, qui neutiquam Antichristus est, & Antichristos subticere, qui vere Antichristi sũt,

(quia

(quia illos quam libenter omittis) nullatenus miror. Sed bona verba hæretice, vt libentius te audiamus, loquere.

Sic locutus est de Antichristo Ioan. eod. loco, quando ait, Pueruli vltima hora est, & sicut audiuistis Antichristũ venturũ, & quæ sequuntur. De hoc Antichristo intelligenda sunt, quæ scripsit Paul. in 2. ad Thesal. 2. epist. Est ergo mihi callide instituenda oratio, non de minutis multisque Antichristis, qui future ἀποστασίας & horrendi Antichristianismi semina sparserunt, sed de ficto illo Antichristo, quem execrande fingo, qui CHRISTO omnino non aduersatur, & cuius gregarij mei illi anteambulones non extiterunt.

Quando autem dico Romanum Pontificem esse hunc magnum Antichristum, id intelligo hunc esse principem, & caput illius ἀποστασίας, quam Scriptura præmonstrauit, futuramque in Ecclesia prædixit. Hæreticus.

Non dicis solum, sed etiam dicendo blasphemas sacrilege nebulo; cõtra præceptum Domini sic iubentis: Principi populi tui non maledices. Multo autẽ minus licet blasphemare, cum vetitum sit maledicere. Imo si nefas est Principi maledicere, quanto minus nefas est Summo Sacerdoti populi DEI non tantum maledicere, sed eum etiam blasphemare. Sed hæreticus viderit. Catholicus.

Horatius Ecce quomodo, Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Spectatum admissi, risum teneatis amici. Iactat impijssime & vanissime Scripturam de Antichristo à se ficto prędixisse, hic ait, Hunc intelligo Antichristum esse Pontificē Romanū, quippe sic vult intelligi Scripturam, sic iubet, siue fas sit, siue nefas. Ille enim, vt ad Tyconij dictum alludam, est Antichristus, qui illi est Antichristus.

Tyconi⁹.

Sanderus de V. M. Polinus Hist. reg. Angl.

Verum rede miser Britanne ad mentem, & perpende ἀποστασίας caput, nullum aliud certissime magis, quam facinorosissimum Henricum Octauum regem Angliæ, qui cum Christianus esset, præ nimia vetiti adulterij libidine ab ipsa CHRISTI Ecclesia, quam alioqui ipse publicis scriptis, & armis defendit, apostatauit, à CHRISTI Regno, quod est Ecclesia misere defecit, à CHRISTI Vicario summa ignominia, & immensa pernicie rebellauit, seq; cum toto suo regno diris inferis deuouit, ac electum Antichristi regnum eximie præparauit. Quare sic pie loquatur Catholicus, vt loqui debuit hęreticus, quãtumuis ipso inuito impio hęretico.

Quando autem ementior Romanum Pontificem hũc magnum Antichristum, id perperam intelligo hunc esse principem & caput illius ἀποστασίας, quam Scriptura præmonstrauit, futuramque in Ecclesia prædixit.

Digitized by Google

Non enim debemus exiſtimare totam Antichriſti vim in vno Pontifice incluſam eſſe, ſed regnum ipſum Pontificium, quod Chriſti regno contrarium eſt, Antichriſtus veriſſime appellatur, cuius Regni quia Pontifex Romanus caput eſt, illum ego per συνεκδοχὴν membri Antichriſtum dico. Hæreticus.

Nugas tantum blaterat impius hæreticus; probet autē Regnum Pontificiū, quod CHRISTI eſt, quod etiam Eccleſiam Catholicam ex verbo DEI credimus, ſcimus, videmus, eſſe Regnum Antichriſti, ſeu quod CHRISTI Regno aduerſetur, quod quia numquam facturus eſt, idcirco ſumma ſponte omiſit. Ipſe autem CHRISTI Regnum Eccleſiam eſſe duobus argumentis mox indicabo. Catholicus.

Horum primum eſt, quod ſemper Romanæ CHRISTI Eccleſiæ præcipua cura eſt, præcipuum ſtudium fuit; vt eadem ipſa Fides, quam CHRISTVS & Apoſtoli tradiderunt, inuiolata prorſus, ac penitus illibata à cunctis ſeruetur, doceatur ac defendatur. Secundum, vt nemini aduerſantium parceretur, ſed adhibita Paſtorali cura, propter impœnitens cor eorum extra CHRISTI Ouile, ne oues ab ipſis lupis lacerarentur, vt in Euangelica eruditione, eſt exploderentur. Regnum CHRISTI eſt Romana Eccleſia.

Alia quoque ſunt nō minus his grauia quam vera, quibus Veritatem veriſſimam indicare

possem, at illa prætereo, & præterea compello impium Vuitackerum hæreticissimum, ad exemplum, dicendo: Duo quæ Regno Angliæ contigerunt Vuitackerus ipse non debet ignorare. Primitus, (vt silentio pręteream, Anglos per D. ELEVTHERIVM Pontificem Maximum, deinceps per D. GREGORIVM Primũ ab Idololatrię cultu abominando liberatos, CHRISTO donatos, CHRISTVM agnouisse, ei seruisse, & ab eo futurę Glorię pręmia reportasse) quoniam Anglia seu Britannia, dum à Fide CHRISTI Catholica per hęresim Pelagianam aberrabat, (vt de hęresi Vuicleui, qua Anglia infestabatur, taceam) per D. COELESTINI Pontificis Romani pium studium curata est, quemadmodum retulit, qui tum claruit D. PROSPER, dicens: Venarabilis memoriæ Pontifex COELESTINVS, cui ad Catholicæ Ecclesię præsidium multa DOMINVS Gratię suę dona largitus est: sciens damnatis non examen iudici solum, sed pœnitentię remedium esse pręstandum. Cœlestium quasi nõ discusso negotio, audientiam postulantem, totius Italię finibus iussit extrudi: ab eo, & Præcessorum suorum statuta & decreta Synodalia inuiolabiliter seruanda censebat: vt quod semel meruerat abscidi, nequaquam admitteret retractari. Nec vero segniore cura ab hoc eodem


D. Prosper lib. cont. Collato.

morbo

morbo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos Gratię ſolum ſuę originis occupantes etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianã. Per hũc virũ etiã Orientales Eccleſię gemina peſte purgatę ſunt, qñ CYRILLO Alexãdrinę vrbis Antiſti glorioſiſſimo Fidei Catholicę Defenſori, ad exſecandã Neſtorianã impietatem, Apoſtolico auxiliatus eſt gladio. Hęc ille Orthodoxus Pater, quibus adijcimus ſecundo, quod ſcimus, quantam ſcilicet curam, quã pium ſtudium, quam Chriſtianam ſolicitudinẽ Oecumenici Põtifices Eccleſię Leo X. Adrianus VI. Paulus III. IV. Pius V. & alij adhibuêre, vt à multis erroribus & hęreſibus, quibus Britannia inficiebatur, liberaretur, ſed (proh malum) vt plurimum in caſſum ſemper omnia ceſſerunt. Sic enim contigit illis, qui ſemel vera CHRISTI Eccleſia neglecta Antichriſti tyrannidi ſe deuouent, & abnegata fide, hęreſi ſeſe dedũt, atque abiurato DEI cultu, Diaboli ſuperſtitioni ſe mancipant, vt ſeipſos ſuo cõdemnati, quo vtar Apoſtolicis ſermonibus, iudicio, ex errore in errorem prolabantur, vſquequo perenniter torquendi ad inferos deſcendant.

Ad hęc quis ſatis poteſt execrari mendacium illud impudentiſſimum, quo Regnum CHRISTI

STI


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

STI regnum Antichristi asserit, quod quidem recitasse confutasse est; quamuis hoc appendicis loco addam, quod Sanctissimi Patres Scripturis apertissimis eruditi D. IRENAEVS lib. 4. cap. 25. HIPPOLYTVS orat. de consum. mun. HIERONYMVS ad Algas. q. 11. PRIMASIVS lib. 3. in Apoc. & ceteri Orthodoxi vnanimi sententia asserunt ab Antichristo tyrānidem malis artibus indeptam paucissimis annis videlicet circiter tres exercēdam esse, quando Vicarius CHRISTI ac Præsul aspettabilis Regni CHRISTI per sexdecim secula Monarchiam sibi à Christo DEO nostro diuinitus planę ac plene traditam Christianissime possidet. Quapropter cogendus erat hereticus, vt cum veritate diceret.

Non ergo debemus dubitare totam Antichristi vim in vna persona pręcipue inclusam esse, sed regni rex Henricus Britānici, quod Antichristi, quantũ ad hæreticos, regnum est, Antichristus aptissime appellatur, cuius regni, quia rex idē Britannus caput est bifidum, hoc est, duplici sacrilegio erectum, illũ ego per ξυνεκδοχὴν membri non temere Antichristum dico.

Hæreticus. *In quo Scripturam omnino magistram ducemque sequor, quæ quando de illo Antichristo verba facit, nunc regnum totum, corpusque designat, vt cum Paulus ait, Nisi venerit defectio prius, & nunc peragitur myste-*

Digitized by Google

mysterium iniquitatis, nunc vnum quendam in hoc regno summum & præcipuum proponit, ex quo totum nequitiæ corpus dependeat, vt quando scribit sese opponens aduersus quidquid dicitur Deus aut numen, & præseferens se esse Deum.

Quanta sit huius nostri Iudæi impudentia ac præsumptio nemo assequi posset. Fingit Scripturam sequi, cum nullam aliã Scripturã sequatur, quam quæ ab eodem scribitur, & deterior omni Iudęo cum effectus sit, præ suę mentis furenti impetu abijcit, respuit, cõtẽnit quidquid Apostoli, quidquid Martyres, quidquid Doctores Ecclesiæ, quidquid Sãcti Patres, quidquid sacra Concilia, & quiquid omni seculo omnes Christiani crediderunt, & quidquid SPIRITVS SANCTVS in Ecclesia docuit, & nimis quã frustratorie talibus ineptijs & Satanicis persuasionibus delirat nos esse stipides, truncos, lapides, vt sibi persuadeat nos eidem vel Luthero, vel alij naturæ monstro, impudentiæ portento, Satanæ subdito, vel sibi, vel ceteris non cõstanti velle potius credere, quam Ecclesię CHRISTI, quę est in Cœlo, & quę est in Terra. O vesana insania, ô furor furorum omnium nouissimus. Sic.n. Veritas potius fateri cogit hęreticũ. Catholicus.

In quo Scripturam oĩno magistrã ducemque extorqueo, quę quando de hoc Antichristo verba fit; nunc regnum totum, corpusque Anglię

vt hę-

& vt hæreticæ designat, vt cum PAVLVS ait, Nisi venerit defectio prius, & nunc peragitur apud hæreticos mysterium iniquitatis: nunc vnum quendam in hoc nostro regno summum, & præcipuum regẽ proponit, ex quo totum nequitię corpus promaneat, vt quando scribit, sese opponens & efferens aduersus quidquid dicitur DEVS aut Numen, & prĕferẽs se esse DEVM.

Hæreticus. *Possunt hæc non de toto corpore, sed de capite, Pontifice Romano intelligi.*

Catholicus. Possunt hęc non de toto defecto corpore, sed de capite Rege Anglicano intelligi.

Vuitackeri deliratio. Quam extremo fanaticus delirat hæreticus, qui neque intelligit Scripturam, neque bene exponit, sed perperam fallitur, secumque pugnat. Si enim, vt autumat, Scriptura, quam affert in medium designat corpus seu regnum Antichristi cum suo capite seu rege, cum ea sibi constet, consequitur, vt popino ipse sibi nõ cõsistat, quãdo vna & eadem Scriptura hęc non posit intelligi de regno cum rege, & simul de rege tantum, cum rex possit absque regno esse ac intelligi, & regnum absque rege, & quamquam rex cum nominatur regnum intelligitur, cumque regnum dicitur, communiter quoque rex complectitur. Tamen Apostolus apertissime loquitur de defectione hęreticorum à Regno CHRISTI, & de futuro Antichristo, vt Patres & Doctores om

nes

Digitized by Google

nes concordant, & verba Apostoli sunt lucidissima: Nisi venerit defectio prius, quę tunc iam cœpit in hæreticis qui nunc, vt addit, operantur mysterium iniquitatis, quod cum excesserit, retegetur tunc (vt ait) filius perditionis efferens se supra DEVM. Vnde hæreticũ insanire, & Apostolica verba confundere, obscurare, & labefactare liquet.

Præterea defectio, ac discessio, quam scribit Apostolus nemini aptius cõgruere potest quam regi Anglorum Henrico pariter ducibus, principibus Germanię aliquibus, (plures enim Duces ac Principes Germaniæ in fide constanter perstiterunt, & adhuc persistunt) & quibusdam Galliæ monstris, qui omnes à CHRISTI Regno credito, & probato defecerunt, ac discesserunt, eam ob rem pietate conspicuus, doctrina vbique splendens Angelicus ac Diuinissimus D. THOMAS defectionem ab Apostolo prædictam, hęreticorum ab Ecclesia CHRISTI Romana defectionem Diuine docuit. Proinde hęreses docendo, fidem corrumpendo, CHRISTVM in membris suis persequendo, Scripturas confundẽdo ac deprauando, sacrosancto Missę Sacrificio neglecto mysterium iniquitatis abominandum operantur. Ex quorum principibus ac regibus hæreticis ab Ecclesia declaratis totum nequitię corpus pendet.

Aquinas. in 2. ad Thes. c. 2.

Hæreticus. *Iam ergo postquam constat, quid nos Antichristi nomine significemus, ad rem ipsam causamque accedamus, & quid Scripturarum monimentis de Antichristo proditum accepimus, discutiamus, ex quo Romanũ Pontificem esse, vt nos dicimus, Antichristum, omnes qui nõ sunt erroribus Antichristianis imbuti intelligant, & fateantur. Breuitatem autem de industria adhibebo, & multa paucis, longa breuibus complectar.*

Catholicus. Iam ergo est hora, postquam constat, quid nos Antichristi nomine significemus, ad rem ipsam causamque accedamus, & quid Scripturarũ monimentis de Antichristo proditum accepimus, discutiamus, ex quo Romanum Pontificem esse, vt nos nugamur ac mentimur Antichristum, omnes qui nobiscũ sunt erroribus Antichristianis Lutheranis, Caluinianis imbuti intelligant, & fateantur. Breuitatem autem de nequitia adhibebo, vt multa paucis, longa breuibus complectar.

Hæreticus. *Danielem veteres fere omnes, nonnulli etiam recentiores, ijque Theologi doctissimi, de Antichristo loquutum esse statuunt, in cap. 11. circa finem. Quæ enim illic leguntur, Antiocho Epiphani τυπικῶς, Antichristo proprie & vere conuenire iudicant. Pontificij quidem nulli, quod sciam, dubitant, quin hic Antichristi mentionem Propheta faciat.*

Catholicus. Danielem veteres fere oẽs, nonnulli etiam recentiores, ijque Theologi doctissimi de Anti-

Digitized by Google

christo loquutum esse statuũt, in cap. 11. cir. fin. & alijs capitibus. Quę enim illîc leguntur, Antiocho Epiphani τυπικῶς, Antichristo proprie, & vere conuenire iudicant. Catholici quidem nulli, quod sciam, dubitant, quin hîc Antichristi mentionem Propheta faciat.

Quod si ita est, quis qualisque sit futurus Antichristus, possumus ex hoc loco cognoscere. In illa enim oratione Danielis non adumbratam leuiter, sed expressam ad viuum Romani Pontificis imaginem contemplari licet. Hæreticus.

Iam me profecto piget ac tœdet te tamdiù distulisse rem serio aggredi, & omisisse velim exiles nugas illas, quas responsione indignas duxi, ad quas respondere, tempus, quod pretiosum est arbitror amittere, mihi vero ocium videtur, vt his finem facias; sed hîc carpis mordicus Põtificem Ecclesię CHRISTI Oecumenicũ, idq; facis quã temere, audacissime, nequiter, vt mox videre licebit, postquam tua verba correcta referam. Catholicus.

Quod si ita est, qui qualisque sit futurus Antichristus, possumus ex hoc loco cognoscere. In illa enim oratione Danielis non adumbratam leuiter, sed expressam ad viuum Anglici Regis imaginem contemplari licet.

Primum enim faciet (inquit Propheta) iuxta voluntatem suam. Hæreticus.

Quod si Papa ideo Antichristi imaginem re- Catholicus.

 fert,

fert, quia, vt debacchatur helluo, fecit iuxta voluntatem suam, consequitur vt eodem loco habeantur Reges Cęsaresque omnes potissime qui pessimi fuêre, ac hęretici notorij, vt pote Henricus Octauus rex Anglię, Elisabetha Anglorum asserta regina, ac etiam Turcarum Imperator, nobis viuam Antichristi imaginem repręsentabit. Item exhibebit eamdem Lutherus, Caluinus, & similes pręcipui mysterium iniquitatis operantes, & pestilentissimam, impijssimam & diabolicissimam conscientiarū libertatem, qua quisq; vt libet, viuit, prędicantes.

Diui pręterea DANIELIS verba facile ad regem Anglorum attinere demonstrabo. Sic enim ipse Propheta loquitur capite 11. Stabit in loco Regis vilissimus & indignus decore regio; & in paucis diebus conteretur, nō in furore, nec in prælio. Et faciet iuxta voluntatem suam Rex. Quod, rex Anglię Henricus non sit rex, sed loco Regis stet, quantum iure Diuino à DEI Vicario priuatur dignitate regia propter hęresim nemo Christianus verus, & Orthodoxus verus addubitat. Quod autem faciat volūtatē suam, DEVS bone, omissis Catholicis, hęretici dicant Gallici, & Germani: cum enim is vtramque sibi Prouinciam, nempe Regalem, ac Sacerdotalē plusquam sacrilege, Iudaice, Turcice, hęretice, diabolice vsurpet, non adumbrat leuiter, sed viuam

uam profert effigiem ipſiſſimam venturi Antichriſti.

Primum enim faciet, iuxta voluntatem ſuam. Et quidem Papa iam multis ſeculis fecit, quidquid ei libitum fuit, non modo in rebus Eccleſiaſticis, ſed etiam in politicis. Hæreticus.

Si fecit iuxta voluntatem ſuam hæretice, maleue, vel bene fecit, vel potius ex Diuina auctoritate, vel humana libidine; ſi bene fecit, vt re vera fecit, non ſuam, ſed Diuinam ſecutus eſt Voluntatem; ſi male, vel propter auctoritatem, vel propter errorẽ humanum; certe cum omnis homo peccare poſſit, homoq; ſit Papa, peccare poteſt; ſi propterea quod non habeat auctoritatem, hoc nego: numquam .n. probabis mihi Papam non habere ſummam poteſtatem faciendi, quod æquum ac iuſtum illi viſum fuerit, cum hanc ipſam ab ipſo CHRISTO acceperit, quemadmodum cũ Catholica Eccleſia tota Angliæ antiqui & glorioſi Doctores Diui BEDA, ANSELMVS & complures aſſeruerunt, & ex recentibus Beati CHRISTI Martyres IOANNES Fiſcherius, & THOMAS Morus pluribus patefecerunt. Catholicus.

Deinde Chriſtus DOMINVS D. PETRO Primo Põtifici Romano, quem tu tam flagitioſe in ſe ac in ſuis Succeſſoribus blaſphemas, vt Euangelij eſt, ampliſſimam tradidit ſuam in toto Orbe Auctoritatem, Caput vniuerſi Chriſtia- Papã Orbis Monarcham iſtituit ipſe CHRISTVS.

Digitized by Google

nismi constituit Summum. Vt vero plura Euangelij loca omittam, quibus demõstratur eximie, quod CHRISTVS, vt Psalmos explicans, loquitur D. PROSPER, Ecclesię Principem instituit, Claues Cœlorum cũctorum tradidit, Pontificem Oecumenicum fecit, Christianismi Regem posuit, loco suo Monarcham in Orbe sibi suffecit, ac patet ex dilucidis perspicuisq; verbis CHRISTI, & doctrina Euangelij, quod illi spiritualem ac temporalem rerum potestatem tradidit: illud tantum, quod nobis, de consid. lib. 4. ad Eugen. Pap., sic orthodoxe edisserit D. BERNARDVS idem exempli ratione liquidum demonstrans, in medium adfero: Quid tu vsurpare gladium tentas, quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum DOMINI dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, & si nõ tua manu euaginandus. Alioqui si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis: Ecce duo gladij hîc: non respondisset DOMINVS, Satis est, sed, nimis est. Hactenus os CHRISTI, lingua sacræ Scripturæ, atque SPIRITVS SANCTI organũ.

D. Prosper.

D. Bernardus.

Hoc idem preterea Cęsares ac Reges ex doctrina orthodoxa certo, cõmuni, & Christiano Orthodoxorum Patrum, & Theologorum Ecclesiæ CHRISTI Catholicę Romanæ consensu agnouerunt,

Imparatores ac Reges Papæ Monarchiam agnoscunt

uerunt, & confessi sunt. Namq; sit pro exemplo Fidericus Primus Imperator: Sicut ille Rex regum, à quo omnis potestas, Romanum Imperium caput totius orbis constituit, ita etiam Romanã Ecclesiam, omnium Ecclesiarum vnicam matrem, dominã & magistram ordinauit: quod vtique duorum gladiorũ numero figurauit, quæ etiam sufficere perhibuit auctor fidei nostrę. Hęc ille epist. ad Eman. Imp. Græc. ex verbo Dei asseuerat, quemadmodum D. BERNARDVS sui seculi oraculũ atque alij Orthodoxi, asseuerauit, quod ex Euangelio D. PETRO duo gladij hoc est, duę potestates, videlicet spiritualis, & tẽporalis in tote Orbe potestas, traditæ esse docẽtur. Deinde Fridericus Secũdus Imperator in const. de stat. & consuet: In die qua de manu Sacratiss. Patris nostri Honorij Tertij Põtificis recepimus Imperij diadema. Prę terea Michael Palæologus Græcorum Imperator, epist. ad Greg. Dec: Sanctissimo & Beatissimo Patri, & Summo Pontifici Apostolicæ Sedis vniuersali Papæ, & communi Principi Christianorum omnium, venerabili Patri Imperij nostri Domino Gregorio, &c. insuper Claudius Æthiopũ Imperator Epist. ad Pau. T. P. M: Audi nos Pater noster Paule Princeps Patrum Romæ, cui subijciuntur septem Reges Christianorum, &c.

& confitentur. Cęsar.

Cęsar.

Cęsar.

Cęsar.

Amplius Galla Placidia Imperatrix quæ in Chri-

Imperatrix.

Christianitate clauit anno 450. à CHRISTO. Epist. ad Pulcheriam Augustam: Tua clementia secundum Catholicam fidem, quod semper nobiscum fecit, & nunc similiter conspirare dignetur, vt quidquid in illo tumultuoso apud Ephæsum Concilio constitutum est, omni virtute remoueatur; vt omnibus integris permanentibus, ad Apostolicæ Sedis, in qua Primus Apostolorum beatus PETRVS, qui etiã claues Regni Cœlestis accipiẽs, Sacerdotij principatũ tenuit, Episcopatus causa mittatur. Debemus.n. Primatum in omnibus immortali cõuersationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione compleuit, & nostro Imperio orbem gubernandum, seruandumque commisit.

Rex. Atque ex Regibus qui idem astruxêre, Ludouicus Francorum Rex Epist. ad P. Sec: Te Vicarium DEI viuẽtis ea veneratione prosequimur, vt sacra, præsertim in Ecclesiasticis rebus, tua monita velut vocem Pastoris audire, illisq; parere prompta mente velimus. Te Principem totius Ecclesię, Antistitem sacrorum, te Dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus, teque iubentem sequimur, & rel. Ex his facile docet se agnoscere Papam Principem omnium Christianorũ ac Pastorem, seque velle pręsertim in spiritualibus parere eius monitis ac pręceptis, atque etiam in temporalibus, vnde dicens, pręsertim,

non

non excludit, sed includit, post spirituale temporale Papę Dominium, vt cuique perito liquet. Dehinc Ladislaus Rex Hungariæ, & Bohemię: cum animaduerto, Beatissime, Maxime Pontifex, me apud inclitos pedes Sāctitatis tuę constitutum, quę inter mortales Dei Omnipotentis vicem gerit, coram hoc sacratissimo Senatu, ad quem Illustrissima totius Mundi sidera, atque homines doctrina, & sanctitate lectissimi cōuenerunt: nō iniuria equidem, in tāta rei magnitudine subsistens, vnde initium sumam orationis, quibus verbis te vnicum Christianorum Principem, te Regem Regum, atq; in terris Deū adorem, non facile constituere possum. Hęc ille, quæ ext. ap. Coclhęum Histo. Hussita. lib. 11. Rex.

Ad hęc autem accedant, quæ ipsi Principes, ac Reges Anglorū Christianorum pleno Orthodoxorum ac regnorum Christianorū consensu asseruerunt. Comites enim ad exemplum affero in medium, & Barones Anglię episto. ad Bonifac. Octau:, Sanctitati vestrę reuerenter & humiliter supplicamus quatenus dominū nostrū Regem, qui inter alios Principes orbis terrę Catholicum se exhibet, & Romanæ Ecclesiæ deuotum, iura sua, & libertates, & consuetudines & leges absq; diminutione, & inquietudine pacifice possidere, & illibata persistere benignius permitatis. Idem Rex Angliæ Eduardus I ad eumd. Pontif: Reges Angliæ Papę Monarchiā fatentur. Principes. Rex.

Conseruetur Paternitas vestra ad regimen Ecclesię suę Sanctę per tempora prospera & longęua. Ante hos autem epist. ad Cęlest. P. quę inter epist. Pet. Blesensis est epist. 144. Regina Anglię pulcherrime inquit: Gentes diuulsę, populi lacerati, prouincię desolatę, & generaliter tota Occidētalis Ecclesia confecta lamētis, in spiritu contrito & humiliato supplicant vobis, QVEM CONSTITVIT DEVS SVPER GENTES ET REGNA IN OMNI PLENITVDINE POTESTATIS. Afflictorum quæso clamor introeat in aures vestras: calamitates enim nostrę multiplicatę sunt super numerum, nec ista dissimulare potestis citra criminis & infamię notam, cum sitis Vicarius crucifixi, Successor Petri, Sacerdos Christi, Christus Domini, Deus etiam Pharaonis, &c.

Regina.

D. Augu. sermo. de Pisca.

Ergo per has duas summas ceterarum potestates sic significatas ac illi traditas patet, quod omnia Regna, omnes Reges, ac Cæsares, vt D. AVGVSTINVS, & cum eo sexcenti & complures Orthodoxi recte affirmauerunt, illius voluntati subiecit.

Episcopi rectores, & legislatores Regū ac Cæsarum.

Nec est nouum hoc cū singulis Episcopis Reges vel Duces, ac Principes subiecerit DEVS, non tamen omnes sicut Pontifici Oecumenico, qui Regibus, & Cæsaribus omnibus præsidet vtroque gladio: hęc ob rem Diuinus in Theologia

gia Pater D. GREGORIVS Nazianzenus pulcherrime aſſerit Principibus, ac Prefectis Magiſtratuum: Vos poteſtati meæ, meisque ſubſellijs lex CHRISTI ſubijcit. Hec ille Orat. ad ciu. Naz. cui plane ſuffragatur D. IOANNES Chryſoſtomus, dicens: Legiſlatoribus quoque leges preſcribemus. Et infra Antiſtibus ait: Subditis veſtris vos Deos prebete. Inde affirmat, quod ſicut cor Regis in manu DEI eſt, ita in Preſulum manibus, vel vt ipſe loquitur, in eorum imperio. Orat. de ſei. ad eo. qui. cathe. conſtant. affecta. Atque tertio loco Sanctiſsimus & Sapiētiſſimus Hieroſolymorū Patriarcha D. CYRILLVS ſic, de more Sācte Eccleſie Chriſtianiſſimo, teſtatur: Vſque ad hodiernam diem cernimus mūda nos Principes regi, & inſtrui ab Eccleſiaſticis. Hæc ille Catechê. 15. q an. 370. claruit. Deinde Apoſtolus ſacratiſsimus Acto. 20. ait: Attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo poſuit uos SPIRITVS SANCTVS Epiſcôpos regere Eccleſiam DEI. Denique ſerm. Apoſtolo. Pet. & Paul. qui incipit: Fortis & humilis. D. AVGVSTINVS Orthodoxum facile Princeps optime aſſeuerat: O mira potentia & ineffabilis gratia SALVATORIS. Quis plebeium piſcatorem Apoſtolorum facile crederet Principem, & Regibus obſiſtere, Reges ſanctificare? Regnis omnibus imperare? mundum refrenare legibus? dæmones

D. Greg.

D. Ioan.

D. Cyrillus.

D. Paul.

D. Auguſtinus.

Digitized by Google

calcare pedibus? iubere uirtutibus? Cœlum hominibus aperire, cum uellet? claudere cum placeret? immortale Regnum conuersis donare? negare peruersis? merita mūdi cognoscere? culpas & crimina hominibus relaxare. Hæc ille Orthodoxus, cui Orthodoxi omnes inuitis portis inferi assentiūtur, adeo, ut recte cum doctissimo Canonico Ioanne Cochlæo discus. confes. Aug. art. de po.ec., sic concludere possum. Quisquis igitur Episcôpis eripit regimen Ecclesiarum, & potissime Summum Pontificis Maximi regimen in omnibus Ecclesijs iure Diuino illi traditum, is D. PAVLVM conculcat, CHRISTI auctoritatem uiolat, & in SPIRITVM SANCTVM peccat, ipsoque facto blasphemat. Dicito ergo hæretice.

Primum enim faciet, inquit Propheta, iuxta uoluntatem suam. Et quidē Anglię rex iam multis annis fecit, quidquid ei illicitum fuit, nō modo in rebus politicis, sed etiam in Ecclesiasticis.

Hæreticus. *Iam enim sibi sumit, vt Reges creare, mutare, tollere, subditos fidei iuramento liberare posit, habeatque auctoritatem imperia quæuis extirpandi, demoliendi, destruendi, ædificandi, plantandi.*

Catholicus. Quis hoc vmquam negauit Catholicus, aut quis hoc nonnisi negauit hęreticus, vt libro meo noue edito, & ante complures Catholici Christianissime patefacerūt. Vt autē plus his dicam,

Digitized by Google

ac pluſquam ſatis eſt ſcribam, conſequeretur ſi vera diceres hęretice, qui procul cõtrouerſia falſa dicis, vt D. DIONYSIVS Papa & Martyr, q leges Regibus præſcripſit, D. GREGORIVS Primus, qui ſupra Imperatorē ſuã exercuit poteſtatem, ſcriptisque, vt eſt in Aimonio lib. 3. c. 2. ius in eiuſdem dignitatem Imperialem ac factis ſe habere docuit. D. ZACHARIAS, qui Pipino Francorum regnum adiudicauit, vt habet Priſingenſis lib. 4. cap. 33. B. IOANNES Octauus, qui, vt refert Genebrardus, duos Reges coronauit, auctoritate regia auxit. D. GREGORIVS Septimus, qui Henricum III. excommunicationi ſubiecit, imperioque priuauit. D. LEO Tertius, qui vt idem Reg. lib. 7. retulit, Carolo Magno Imperium conceſſit. Innocentius Quartus, qui Federicum II. imperio priuauit, & Venetijs filium eius pedibus calcãs, dixit; Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, & ille reſpõdens: Non tibi, ſed Petro obedientiam exhibeo, ſubiunxit. Et mihi, & PETRO obedientiam exhibe, idque approbãte tota Republica Veneta, quam Chriſtianiſſimam iam olim recte appellarunt Romani Pontifices. Paulus Tertius, qui Henricum Octauum Anglię regem peſſimum regno rectiſſime ſpoliauit. Pius Qnintus, qui nequiſſimam Eliſabethã Angliæ reginam appellatam oĩ ſibi vſurpata malis

artibus

artibus auctoritate priuauit, & Sixtus Quintus, qui Henricum Borbonium Regem Nauarræ assertum, & Principem Condensem regno spoliauit, & quicumque Imperatoribus regnum temporale cum corona Imperiali tradiderunt, & ceteri Vicedei, qui eadem ac eisdē similia fecerunt, iusti, optimi ac Sanctissimi Oecumenicæ Ecclesiæ Pontifices Maximi peccassent, inique igissent, perperam excommunicassent, sibi oīa vsurpassent, Sancti non fuissent, & vna cum tota Ecclesia CHRISTI Catholica errassent, quod nonnisi qui fas nefasque commiscet, verum ac falsum confundit, Catholicam Ecclesiam facit hæreticam, & hæreticam Catholicam, conuitijs mendacijs, & blasphemijs pro more vtitur, videtur dicere posse.

Quocirca Cardinalis Reginaldus Polo Anglus, qui vtramque Papę potestatem strenue defendit lib. de S. P. ac Bertrandus Cardinalis, & Episcôpus Eduensis, qui Summum Pontificem posse deijcere Imperatorem ostendit: Tract. de vsu. & iur. q. 4. Item Cardinalis noster Venetus Contarenus lib. de po. Pa. Cardinalis Alexandrinus c. si Pa. d. 40. Nicolaus Papa cap. 1. d. 22. Ioannes XXII. in ext. Diui THOMAS Aquinas, BONAVENTVRA, & complures Orthodoxi docuerunt Christianissime, quod Papa est Dominus dominantium, & habet Ius Regis Re-

gum

gum in ſubditos, qui eſt omnia, & ſuper omnia: Nec eſt, quod faſtidioſus hęreticus obtrudat nobis lædoria ſua repugnantibus Orthodoxis: non enim filijs tenebrarum, ſed filijs lucis hæc ita eſſe reteguntur. Sed, vt orthodoxa D. PROSPERI ſententia eſt ad Pſalm. 138., qui vnitate catholica non vritur, hæretica vanitate diſpergitur.

Denique Britannica beſtia aſſeris te (vt opinor) Prophetas Reges creare, vngere, & conſecrare, vt Scriptura refert, potuiſſe, & adeo poſtea negas hoc idem poſſe eum, qui CHRISTI locũ in orbe Chriſtiano tenet? iugularis, proſterneris, ac confoderis duobus CHRISTI iaculis, ſeu bombardis, dicentis D. PETRO, ac eius Succeſſori: βόσκε τα πρόβατα μόυ: ποίμαινε τα' αρνιυ μού. Paſce oues meas. Rege agnos meos. Ecce Sacerdotum, & Regum, Sacerdotij, ac Regni ſummã dignitatem in toto Orbe, & in vniuerſa Chriſtianitate à CHRISTO iure tradita D. PETRO eiusq́ue Succeſſoribus legitimis, vt ædificent, deſtruant, plantent, irrigent, euellant, extirpent, euertant, &c. veluti eſt in Propheta DOMINI, & Diuorum aſſeueratione. Velis ergo nolis hæretice id fateri cogeris humi proſtratus atque confoſſus.

Vuitackerus gladio verbi DEI iugulatus.

Id enim à CHRISTO ſumit, vt Reges ac Cęſares creare, mutare, tollere, ſubditos fidei iuramento liberare poſſit, habeatq́ue auctoritatẽ Im-

peria

peria quæuis iuxte extirpandi, demoliendi, perdendi, destruendi, ædificandi, plantandi.

Hæreticus. *Atque hanc potestatem, & exercuit iam olim erga nonnullos Reges ac Cæsares, & in nostram quoque principem voluit, vt nostis, exercere.*

Catholicus. Optime itaque fecit Vicarius DEI, cui à DOMINO totius gregis Christianæ cura commissa est diuinitus, quando DOMINVM suum imitando, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, inter ceteros Henricum Tertium, inter Reges Hēricum Angliȩ Octauum, post omnem Pastoris Summi curam adhibitam, condēnando, extra CHRISTI Ouile expellendo, & anathemati subiacendo. Nec est, quod mendax notorius hȩreticus tam impudenter expostulet, ac mentiatur illam non actu exercuisse in Antichristum suum, cum constet quod perfecerint Paulus & Pius, & alij; nullumq; prȩtereat annum: quo minus hanc exerceat, quamquam prȩ tenebrarum potestate, prȩ hȩreticorum Anglorum prauitate ac nequitia nihil tandem profecerit. Impij enim solent, cum in profundam peccatorum abyssum peruenerint salubria quȩque contemnere. Quocirca dicendum tibi erat.

Atque hanc potestatem CHRISTI dicto audiens cum fuerit opportune exercuit iam olim erga nonnullos Reges ac Cȩsares, & in nostram quoque principem Satanȩ succubam, scortum

Anti-

Antichristi, quam multis eiusdem notis sugillauit.

In rebus autem sacris multo maiorem sibi licentiam tribuit: cuius omnia dicta, placita, decreta, Spiritus Sancti oracula censeri debēt, quidquid ei placet Catholicum, quidquid displicet hæreticum iudicandum est. Hæreticus.

Hæc verba impudentissime Britanniæ monstre, ac mendacissime alumne Lutheri, & Caluini mendacijs impudentissimis plurimum scatent. Nequaquam enim sibi DEI vices gerens licentiam tribuit, sed Potestatem sibi à DEO traditam fideliter custodit. Neque vllus vmquam Catholicus omnia dicta, placita, decreta esse SPIRITVS SANCTI oracula censuit, nec excogitauit quidem: Omnes autem Catholici Decreta Summi Pontificis quantum Fidem & Religionem spectant, non minus, quam Canones Diuorum Apostolorum, quam Decreta Conciliorum, quamque Diuina oracula venerantur: Idem etenim SPIRITVS SANCTVS promissus est, & datus Doctor omnis veritatis in Ecclesia, quæ, vt vtar verbis Diui IGNATII Martyris, castissima in Romana regione præsidet, cui Diuina promissa facta sunt, cum qua CHRISTVS se mansurum pollicitus est, quam Diuina ipse auxit Auctoritate, & summis priuilegijs firmauit, ac decorauit. Ipse prætera CHRISTVS rogauit & fuit exauditus, vt D. PETRI

Catholicus.

Decreta Summi Pōtificis tamquā SPIRITVS SANCTI oracula accipienda.

D. Ignatius epis. ad Rom.

Fides numquam in Successione, quemadmodū Patres Sancti orthodoxè expofuerunt, desitura esset.

Summus quoque Apostolus in Concilio Hierosolymitano, sicut & Patres faciunt, dixit: Visum est SPIRITVI SANCTO ac nobis. Vnde Cōcilij huius Decreta tāquam SPIRITVS SANCTI Oracula probāda voluisse perspicuum est. Ac Pōtifex Oecumenicus Ecclesiæ potestate longe superat omne Cōcilium, nec errare potest in his quę fidei sunt, vt tot Illustriss. Orthodoxi lucidissime demonstrauêre. Et Lutherus ipse ait: Sicut Spiritus Sanctus non potest errare, sic Ecclesia non potest errare.

Lutherus cō. Amb. Cathar.

Apostolus vltra fatetur doctrinā SPIRITVS SANCTI esse, quæ valet ad erudiendum, & recte viuendum, ad quod nōnulla Decreta à Summis Eccesiæ Præsulibus sunt statuta. Igitur cum veneratione suscipienda sunt & DEO auctore facta probanda. Vnde D. AVGVSTINVS Decretū de Eucharistia tātum à ieiunijs suscipienda plane SPIRITVI SANCTO tribuit. Placuit, inquit SPIRITVI SANCTO &c.

D. Augusti. de Pedog. Ec.

Denique cum CHRISTVS asseruerit, quodcunque solutum, vel ligatum erit à D. PETRO et ab eiusdem Successoribus in Terris, hoc idem decretum erit in Cœlis, nemo nisi Antichristianus; dæmonum legionibus diuexatus, perditusque

que

que hæreticus, Decreta, vt dixi Pontificia summe veneranda, religiose suscipienda, fideliter credenda, tamquam ipsius CHRISTI ore sacratissimo prolata recipienda, ac quasi SPIRITVS SANCTI Oracula asserenda negabit. In quorũ numero ea Sacrosancta Leonis X. & plurium Decreta, quibus condemnatæ sunt Lutheranorum, Caluinianorũ Germanorum, Gallorum & Britannorum hęreses, eximie credere ac colere Christianus quisq; debet. Quare fateri cogeris.

In rebus autẽ sacris Rex Britannus multo maiorem sibi licentiam sacrilegam tribuit: Cuius omnia pro hęresi dicta, placita, decreta SPIRITVS SANCTI Oraculis aduersari debẽt, quidquid ei placet hęreticum, quidquid displicet Catholicum iudicandum est.

Si secum animas hominum innumerabiles traxerit ad inferos, tamen nefas est ei dicere, quid facis. Dist. 40. Si Papa. Et tritum est apud Pontificios axioma, quod illorum nullus ausit negare, Papæ pro ratione eße voluntatem. Hæreticus.

Hactenus Anglię ostentum impudentissime mentitur, quippe quidem ita mendacijs assueuit, vt iam videatur, non amplius posse non mentiri. Quis vmquam quęso apud Christianos hoc mendacium somniauit, vel excogitauit.? Cum liceat (hoc fecit D. BERNARDVS in Epistolis) pro certo cuilibet homini, quod ad Lutherũ Catholicus. Papam licet arguere. Henricus Epist. ad Lut.

Henricus episto. ad Luthe.

scribens testatur quoque rex Angliæ, ipsum Pontificem Maximum admonere, atque etiam arguere tam in rebus maximis, quam in minimis, id certe nullibi prohibitum est, quod factum a quibusdam legitur, & Pontifex DEI numquam negauit, numquam pro illicito duxit, numquam vetuit. Quin imo & ipse concionatorem habet, qui ad ipsum prædicat, & si opus fert, arguit, quem & ipse audiui. Item in sacro Illustrissimorum Cardinalium Collegio, si oportet, a quolibet repreheditur, atque in ipsius creationis solemnitate quidã publicitus humilitatis ergô claro exemplo & verbis monet, quod inanis sit plane tota gloria mundi. Nemini tamen fas est supremum in terris Pastorem ac Iudicem iudicare, quem cum CHRISTVS omnibus præposuerit, a nemine iudicandum fore iudicauit, quod per Sanctorum Ecclesiam SPIRITVS SANCTVS ipse seruatum & constabilitum voluit.

Papæ pro ratione non subest voluntas.

Neque habet pro ratione voluntatem, cum rationem, iudicium, discussionem, consilium, & SPIRITVS SANCTI inuocationem adhibeat in his cunctis, quæ alicuius ponderis sunt. Sed pseudo Elisabetha Regina tua, & postmodũ Henricus Rex tuus innumerabiles fere Anglorũ secum ad inferos traxit, nemini autem dicere licuit, vel permisit, seu certe nemo cruentissimæ illi bestiæ sitibæund sanguinis Martyrũ CHRI-

STI

Digitized by Google

STI quid facis, ratione ſuberat volũtas. Pariter Caluino & Luthero hæc omnia competunt, qui cum à quopiam hæretico amico ſuo corriperetur, reſpondit: Sic volo, ſic iubeo; Licuit mihi, quod placuit, ſit pro ratione voluntas. Conclude igitur. Lutherus to. 5. fol. 141.

Si ſecum animas hominum innumerabiles ad inferos traxerit, nefas eſt ei dicere, quid facis. Mendac. Vuitacker. qui valet pro 40. Et tritum eſt apud hæreticos axioma, quod illorum nullus poterit negare, regi hæretico, vel etiam ſubdito pro ratione eſſe voluntatem.

Hæreticus.

Deinde ait Propheta, exaltabit ſe ſupra oẽm Deum, quod de Antichriſto etiam Paulus diſerte ſcribit. Id quemadmodum Pontifex faciat, deinceps exponemus, quando ad Pauli locum accedemus.

Catholicus.

Cũ Scriptura aperte Sacerdotes vocet Deos, Ego dixi Dij eſtis, filij excelſi, & rex tuus Anglicus potiſſime Héricus hęreticus ſupra oẽs Sacerdotes euehendo ſeſe in locum excelſum, & caput Anglicanæ ſynagogæ ſe cõſtituens Prophetã, & Apoſtolum de eo vti de viua Antichriſti effigie prædixiſſe clare patet. Vnde Pontifex Eccleſiæ CHRISTI licet aſſeueret ſe à CHRISTO in tantam, tam excelſam, & ſacroſanctam Sedem euectum, modeſtia tamen Chriſtiana ab ambobus Apoſtolis commendata vſus, ſe non tantum Sacerdotum omnium, ſed etiam cunctorum laicorum

rum

rum infimum facit, quinimo se seruum seruorum DEI & D. N. I. C. passim ac frequentius nuncupat. In duorum altero humanam hominis fragilitatem docens, & Christianis humilitatem commendans, in altero omnem CHRISTO gloriam, & honorē deferens & exhibens. Propterea recte repetere verba tua non te pigeat hæretice.

Deinde ait Propheta, exaltabit se supra omnē Deum, quod de Antichristo scribit. Id quemadmodum rex parati regni pro venturo Antichristo proxime faciat, deinceps magis exponemus, quando ad Pauli locum accedemus.

Hæreticus. *Tertio subiungit Propheta, prospere illi succedet, donec consumatur ira Dei.*

Catholicus. Perduellis CHRISTI in regno Antichristi, lege, quod Propheta penitus subiūgit: Et Deum Patrum suorum non reputabit. Quem cum Papa colat, adoret, & adorari iubeat, se eius Vicarium rite asserat, claret, quod quæcumque de Antichristo nugaris, ita congruunt Papę, sicut congruit Diabolo hæreticorum parenti, non mentiri, esse rerum omnium ignaro, vel Deum esse.

Tertio subiungit Propheta, prospere tui illi Anglię Lucifero Noctifero, succedet, donec consumatur ira DEI.

Hæreticus. *Quis ignorat mira Regni Pontificij incremēta, quousque Dominus hunc Antichristum populo suo patefecit,*

O ca-

O caput celestissimum ac insanissimum Diabolum appellas Deum scilicet tuum, populum Diaboli, Dei populum iactas, & ignotum adhuc Antichristum, notum esse tam creberrime quam impudentissime mentiris. Putasne hoc incrementorum Ecclesiæ indicio velle concludi Papam esse Antichristum? Ex eo enim magis CHRISTI probatur esse Vicarius. Ipse quidem in Diuino Apostolo fatetur; Paulus plantat, Apollo rigat, incrementum autem dat DEVS. Proinde videmus Sanctissimum CONSTANTINVM Cęsarem, Carolum Magnum, itemq; Eduardum Rex Anglię epist. ad Nic. Sec: atq; alios Anglię olim Christianę Reges Diuino nutu ac SPIRITVS SANCTI inspiratione multa Ecclesię suę cessisse, ac contulisse. Quod etiam bonum opus esse facile probo: Bonum opus est quodcumque DEVM habet auctorē, at hęc dona Ecclesię collata bona sunt opera, si tamen Euangelio credis, ergo DEO auctore (modo tamen specialissimo) Ecclesię suę elargita fuerunt. Atque complura eiusmodi silentio inuoluam, incrementa, quę Romana CHRISTI obtinuit Ecclesia, quando per D. GREGORIVM Primum Lōgobardi & Angli, qui Fidem CHRISTI ignorauerunt, item alij populi per complures Pontifices ad CHRISTI Fidem traducti fuêre; in quibus CHRISTI Regnum, quod est Ecclesia Romana dilata-

Catholicus.

Incremēta Romanæ Ecclesiæ demōstrāt esse CHRISTI.

Digitized by Google

dilatatum eſſe nemo negabit, imo fateri propterea cogetur vnuſquiſque; Tam certum eſſe Regnum CHRISTI eſſe Eccleſiam Romanã, quam certum eſſe ad regnum Antichriſti referendum omne regnum, quod Eccleſiam Romanam pro Regno CHRISTI non habet.

Pontifici Romano non omnia proſpere ſucceſſit.

Accedat, quod non omnia ſucceſſit proſpere Pontifici Maximo, ſed multa ac plurima aduerſa, ideo nõ poteſt Prophetiam illã recte ad Pontificem Oecumenicum deferri. Vt enim de ſeculo pręterito curſim dicam. Iulius Secundus vrbes & oppida vtroque gladio vtens, ab occupatorum manu proſpere diripuit. Idem in pręlio Rauennate multa ab inobedienti Duca Ferrarię Alphonſo perpeſſus eſt, quę mire ipſum iniuria afflixit. Viuente adhuc Leone Decimo ſurrexerũt pſeudochriſti, ac pſeudoprophetę, Luthero auctore Antichriſti ſummo emiſſario, eximioq; Diaboli amaſio. Tunc vero Sacerdotes CHRISTI & complures pij pio Martyrij cruore Eccleſiam purpuream, ac fidelium filiorum lętantem reddiderunt. Carolus vero Quintus pugnare contra Lutheranos & eorum principes, qui à CHRISTI Eccleſia defecerant, cœpit. Rex Anglię Henricus pro CHRISTI Eccleſia in acie ſtetit, ac ſcriptis quoque in lucem editis contra Lutheranos pręliatus eſt, propter quod à Leone Defenſor Fidei appellatus eſt. Deinceps verum

Iulius II.

Leo X.

enim

Digitized by Google

enim vero Adrianus Sextus doluit vehementer de bellis, & dissidijs Lutheranorum; de pertinacia ducum ac principum Germaniæ in Hæresi, sed de constantia Fidelium CHRISTI, ac Ducis gloriosi Georgij Saxonis ac Ducis Bauarię gauisus est. Sub Clemente Roma infeliciter à CHRISTI persecutoribus capta est: ab optimo Cæsare Carolo fugatis hostibus DEI, eiusdem Vicario feliciter restituta est. Sub Paulo Tertio Iesuitarũ Societas clarere cœpit in Ecclesia DEI, ab eadem vero hæreticos rebellare non destitit. Sub Quarto eiusdem nominis Pontifice tumultus Anglorum, & aliorum defectiones, bella & Religionis deiectionem afflixit, sed dissidium hæreticorum, quod pax attulit Ecclesiæ, Martyres ex ea natos, & Familiam Diui Amoris, quæ vulgo Theatinorum Societas appellatur, Tridentini Concilij celebratio ipsum refocillarunt. Pium Quintum bellum diuexauit Nauale, sed victoria eius de Turcis reportata eumdem consolata est. Gregorio Decimotertio ac Sixto Quinto, qui in afflictione fuit, per quorumdam latrocinia & grassationes, sed propter tres Regum legatos, qui Romæ CHRISTI Fidem professi sũt, gaudium magnum attulit. Clemẽs Octauus, qui omnium felicissimus prædicatur, controuersia de Auxilijs, contumacia Ferrariensium aduersa sentire vtiq; cogendus fuit, prospera vero pax Caholici, &

Adrianus VI.

Clemens VII.

Paulus III.

Paulus IV.

Pius V.

Sixtus V.

Clemens VIII.

Digitized by Google

Christianissimi Regis, & Principum Christianorum. Paulus vero Quintus nostro seculo adhuc florente Summo in Pōtificatu aduersa quasi magnus athleta; idem vero profecto quasi felix prospera probauit, quando ab errore aliquos Principes curauit, alios vero, propter κόσμοφιλους καὶ κακόγραφους quosdam, minime. Qui ob apostasiam hæreticorum à Fide dolet, ob incrementum Fidei apud Indos, Americos, ac Persos, propter quod CHRISTI Regnum inuitis portis inferi dilatatur, lætatur. Hunc tœdet, quod in Hęresi pertinaciter persistat regnum Angliæ fere totum penitus, Geneuanus Senatus, Galli plures, ac Germanię duces, & principes, qui CHRISTI Fideles persequuntur, & excruciant; sed bellum aduersus Turcos ineūdū, & inducię Imperij obtentę magna consolatione afficiunt. Qui vtique Pontificem Romanū Vicarium esse CHRISTI ignorat, vel negat, vel improbat, & adorat bestiam nempe Hęresim, quam Apocalypsis tradit, bibet profecto calicem iræ DEI, qui ęternę amaritudinis mixtus est mero.

Paulus V.

Quis ignorat mira Romani Pontificis incrementa: quousque DOMINVS, ac suo populo patefaciet eidem Antichristum.

Hæreticus.

Quarto loco sequitur, Deum Patrum suorum non intelliget.

Catholicus.

Supra raptim attigi, quod Pontificibus Romanis

manis non prospere successit, & breuitatis studio omisi, quod Roma trecentis annis sub Tyrannis Cęsaribus fuit, & Papę ferme omnes Martyres fuerunt, & Romana Ecclesia multa mala pertulisse, ac similiter alijs seculis à Gothis, ab Erulis, à Longobardis, à Tyrannis Imperatoribus, Regibus, Ducibus, hęreticis, & ab alijs portis inferi: ita vt B. IOACHIN scripserit librum de septem Romanę Ecclesię tribulationibus: tuumq; mendacium, quod fingis prospere omnia successisse nihil omnino, postquam Antichristus fictitius à Diabolo suis subditis hęreticis patefactus fuit, notaui.

Abbas int. Op. Ab. Ioac.

Nunc vero quod quarto loco dicis: Deum Patrum suorum non intelliget. Trãslatio habet: DEVM Patrum suorum non reputabit. Ex quo Prophetę vaticinio discitur futurus esse Antichristus Iudęus, quemadmodum Orthodoxi omnes à primitiua vsque Ecclesia recte docent. Id; quod duo suadent, alterum, quia vsitatissimum Scripturę & ipsius quoque CHRISTI mos est, Deum appellari DEVM Patrum, vti cuiquam perito euidentissimum est. Vnde si Antichristus non reputabit DEVM Patrum suorum, consequitur, vt sui patres Iudęi fuerint; quare iterum paulo post ait: DEVM, qui ignorauerũt Patres eius, colet & Deum Moazi in loco suo statuet. Alterum, quoniam cum CHRISTI sit proprium

Antichristus erit genere Iudæus.

Sanderus lib. de visi. Monar.

Digitized by Google

munus saluare, Antichristi perdere, & Antichristus aperto marte cum CHRISTO pugnabit, eũ negabit, seque loco suo constituet, necesse est, nedum cõsentaneum, vt sit futurus Iudęus: alioqui numquam Iudęi eumdem pro Christo ac Saluatore susciperent. Istud video traditũ est à CHRISTO Iudæis dicẽte: Veni in nomine Patris mei, & non credidistis mihi: alius veniet in nomine suo, & ipsi credetis. Idem obiurgat & inculcat Apostolus Iudęis. Sed & Diui HIPPOLYTVS orat. de mun. consf. AMBROSIVS in 2. ad Thessalon. cap. 2. HIERONYMVS in cap. 11. Dan. & complures Orthodoxi optime idem docent. Quare cum Antichristus Iudęus sit venturus Iudæis, vt Scriptura & Ecclesia tradunt, constat nihil prorsus Romanum Pontificem spectare ad Antichristum.

Quarto loco sequitur, Deum Patrum suorum Antichristus non reputabit.

Hæreticus. *Et Deum nobis nouum Pontificij excogitarunt, qui non est Deus Christianorum. Deum habent fictum, Christum fictum, cælum fictum, Religionem non quã Patres, Apostoli docuerunt, sed quam ipsi fingere sibi potuerunt: id quod deinceps faciam magis manifestum.*

Catholicus. Persentio te argumentis destitui, & ad contumelias nequissimas & ad mendacia impudentissima te conuertere. Sed mala oua malos coruos pariunt. Sequeris Lutherum, qui talibus sycophantijs

phantijs inſtrūctiſſimus fuit, quam ob rem bene frequenter à glorioſo Angliæ Martyre, & Doctore Epiſcôpo Roffenſi ac S.R.E. Cardinali ſugillatus fuit.

Mentiris hæretice. Numquam Catholici vllum præter vnum DEVM agnouerunt & confeſsi ſunt, quinimo, qui duos Deos conſtituebāt Manichæos condemnauerunt. Papa notum Deū non adorat.

Cum pręterea DEVS in Scriptura Sacerdotes vel ſimauis Angelos Deos vocet, error non erit ſi Deos Sacerdotes, qui Angelis pręferuntur ex miniſterio, vocabunt Chriſtiani. Nec minus peccabit Chriſtianus quilibet, qui Papam Caput omnium Sacerdotum à DEO conſtitutum, vocabit Deum, quam DEVS peccauit, quādo MOSEN Deum Pharaonis à ſe conſtitutum vocauit. Libentius tamen Chriſtiani omnes & rectius propter inſolentiam deteſtabilium ac impiorū hæreticorum vocant Vicarium DEI, cui DEVS, qui Cœlorū, Terrarumq; claues habet, in D.PETRO Primo Pontifici Romano ceſsit.

Denique qui magis Deum fictum, Chriſtum fictum, religionem fictam habent, quam hæretici deteriores quam Turcę, Pagani, & Idololatrę. Deum enim ignorant, quia eius præcepta nullatenus ſeruant, dicente Apoſtolo. Qui confitetur ſe noſſe DEVM, & mandata eius nō ſeruat, mendax eſt. Deum fictum pro vero habent, cū ei non Hæretici Deum fictum habent.

credant

credant præcipienti, vt eiusdem seruentur mandata, quæ seruanda esse negant, impossibilia, vt seruentur, credunt atque blasphemant, eos qui ipsa seruant, æternam mereri vitam, vt CHRISTVS dixit, si vis ad vitam ingredi, serua mandata, infidelissime negant, præmium perẽne bonis operibus deberi ac remunerari inficiantur, Deum faciunt stolidum, mendacem, deceptorem, perditorem, ac falsarium, ac ideo fictum, nõ verum Deum. Quinimo DEVM peccatorum ac scelerum omnium auctorem faciunt, & Diabolum Deum verum constituunt atque defendunt. Quare inter hos sũt Anabaptistę quidã, qui etiã ipsum Diabolum adorãt. Deinde Angli quidam Galli, & Germani Atheismũ profitentes ex professo Deum fictum habent.

Auctor lib. sup. in princ. & in petorari Thes. Cat. Couius.

Hæretici CHRISTVM fictum habent.

Inde Christum fictum habent hęretici, ex quo negant ipsum esse Deum, vel septẽ Ecclesiæ Romanę Sacramenta instituisse, D. PETRO Primatum concessisse, Purgatorium non docuisse dum garriũt, panem in Corpus suum nõ conuertisse, & his similia multa dęmoniorum dogmata. CHRISTVS insuper verus dicit se nũquam futurum esse hęreticorum Christum: si dixerint inquit, pseudoprophetę & pseudochristi, Ecce Christus hîc est, vel illîc, noliter credere. Vocat etiam Pseudochristos, qui videlicet Christum verum profitentes, ipsum minime habent.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter hæretici verissime Deū habent fictum, Christum fictum, cœlum fictum, religionem fictam, cultum fictum, doctrinam fictam, confessionem fictam, fidem fictam, Baptismum fictum, Sacramenta ficta, Sacerdotium fictum, Scripturam fictam, Euāgelium fictum, vtrumq; Testamentum fictum, & omnia ficta.

Et Deum nobis nouum Angli hęretici excogitarūt, qui non est Deus Christianorum. Deum habent fictum, Christum fictum, cœlum fictum, religionem, non quam Patres, Apostoli, & Pontifices docuerunt, sed quam ipsi inuenire, & fingere sibi potuerunt. Id quod deinceps faciam magis manifestum.

Quinto Propheta scribit; Non curabit amorem mulierum. Pontificij vero & si non sunt omnium hominum minime mulierosi, tamen nuptias in suis omnibus iustas licitasque damnant, & infandas plusquam Sodomiticas libidines, fœdamque turpitudinē honesto sanctoque coniugio anteponunt. Hæreticus.

Hæc mendacissimus Vuitackerus impijssime protulit, ob odium Papę, sicut & Lutherus à Roffensi iugulatus, se fecisse scribit, idest, omnia mala excitasse, omnes ad facinora commouisse, omnes hæreses & mendacia docuisse propter odium Papæ. Primum mendacium est, quod Pontifices in omnibus damnent nuptias, cum numquam Papa damnauit nuptias, qui

Catholicus. Lutherus epistto. ad Arg. Tria Vuitackeri mēdacia. I.

qui tamen DEI vt pote Vicarius tantum Christianissime illos cogit, qui DEO expeditius seruientes, Virginitatem DEO vouerant, ne iniant sacrilega incœsta, quę improbissimus hęreticus nomine nuptiarum honestare frustra nixus est. Proinde adulteria fœdissima, illicitissima stupra, & sacrilegos incœstus Henrici Octaui regis Anglorum, qui egregius imitator regis idololatrę in Anglia, quippe Sanctã DIMPNAM filiam propriam in coniugem habere tentauit, effectus, vel filias quidem proprias in sponsas duxit, & apostatarum à Religionibus, & item Clericorũ apostatum, qui nuptias, vt ille vocat, inierunt, & pariter virgines ipsi DEO sacratas Luthero duce loco sponsarum ac coniugum profanissime habuerunt, iusto iure Diuinoque condemnauit.

II. Quod autem cum D. HIERONYMO Iouiniani, Vigilantij & aliorum hereticorum debellatore, cum D. AVGVSTINO, ceteris Orthodoxis, cum Apostolis ac Euangelistis Papa Virginitatem Matrimonio anteponat, hoc nullus, qui credit Euangelio vt existimo (nam hęretici Euangelio non credunt) & Apostolo, vmquam negabit.

III. Tertium mẽdacium est omnium maximum, cui addidit sacrilegam Scripturę deprauationẽ. Namque textus Scripturę non habet: Non curabit amorem mulierum, vt iste facinorisissime fingit,

in vit. S. Dimp.

fingit, quo Papam nefarie pro Antichriſto traducat, ſed contra ſic habet: Erit (ſeu viuet) in amore (in concupiſcentijs) mulierum. Vnde cum Papæ multi fuerunt Virgines, in quorũ numero recenſetur Paulus Quintus qui adhuc ſuperſtit, plurimi Caſti, nec mulieroſi, veluti Vuitakerus ipſe fatetur, ac ſeipſum iugulat; vel ex hoc vno argumento Papã nullatenus, nullo modo, nullo tempore; nulla ſuſpicionis ſpecie, nulla criminationis occaſione eſſe, vel eſſe vmquam poſſe Antichriſtum, vel cœco perſpicuum eſt.

Paulus V. est Virgo. Vuitakerus à ſeipſo iugulatus.

Quod ſi quiſpiam garrulus contentioſus obtrudat mihi textum Prophetæ Hæbraicum vtroque modo accipi poſſe, cum affirmando, tum negando: dico, quod D. PROSPER & ceteri Orthodoxi, affirmãdo, quod Antichriſtus indulgebit libidini mulierum, explicant illum: ſicque Scripturę textus in Biblijs expreſſus ab omnibus ampliſſime probatur & acceptatur: ratio quoq; ſuppetit: namque Propheta non niſi de notis nequiſque Antichriſti mentionem facit; ideo nõ debuit Antichriſtum de caſtitate, quæ in albo virtutum ſcribitur, commendare: Caſtitas. n. bona eſt, DEI donum, quod Apoſtolus poſſidẽs, idem alijs optat, atque bonum eſſe homini mulierem numquam tangere fatetur. Vnde claret, quod nutu Doctoris Eccleſiæ ſcilicet SPIRITVS SANCTI Eccleſia illum textum catholice probauit,

Aquitanicus lib. de Ro. & Præd.

D. PAVLVS 1. Cor. 6.7.

bauit, orthodoxe tradidit, atque rectissime commendauit.

Quinto Propheta scribit: Curabit amorẽ mulierum. Angli vero alijque hæretici sunt omnium hominum mulierosi, vt vix vnus ex his castus D. HIERONYMO teste reperiri possit: tamen nuptias in suis omnibus iustas & licitas, quę vouendo DEO fiunt, damnant, & infandas plusquam Sodomiticas libidines, fœdamque turpitudinem Sacerdotum, Monachorum, & Sanctimonialium; honesto sanctoque coniugio anteponunt.

D. HIERONYMVS in Ose. 3.

Hæreticus.

Sexto: Deum colet auro & argento, & lapide precioso. Apud Pontificios spiritualis & verus cultus perijt, religio omnis in externo splendore, & magnificis ornamentis Templorum, & Statuorum, Missarumque pompis consistit.

Catholicus.

Templa Christianorum sacrosãcta.

Mentiris perfidiose hæretice, non in pompis & ornamentis, quæ pietatis ergô fiunt, spiritualis & verus cultus consistit, sed in ijs potius propter quę illa fiunt. Namq; in Templis Christianorum verbũ DEI auditur, populo benedicitur, laus DEI decantatur, DEVS oratur, confessio Sacerdoti diuinitus instituta adhibetur, DEVS pręsens Spiritu & Veritate adoratur, magnificatur, commendatur, Baptisma datur, Confirmatio exhibetur, Matrimonium celebratur, Ordo perficitur, Vnctio consecratur, summum ceterorum

Sacri-

Digitized by Google

Sacrificium DEO pro ſalute Fideliũ ac Piorum defunctorum beneficio religioſe offertur.

Deinde textus ſic refertur à D. PROSPERO, vt de auro, argento ac lapide pretioſo nulla extet mentio, ſed id tibi concedam, cum in Scripturę textu legatur, nec iſtius ſit inſtitutus omnia Prophetę verba in medium adferre. Tamen aurum, argentum, Templa, ornamenta, & his ſimilia, nullum referunt impedimentum, quo minus DEVS verus rite colatur, cũ Salomon Templum omnium pretioſiſſimũ rebusque precioſis DEO auctore, approbatore, & commẽdatore erexerit. Propterea hoc nihil omnino indicabit nobis Antichriſtum, quamquam horum abuſus, Templorum vero contemptus deſolatio & abominatio nota ſit Antichriſti. Namq; Antichriſtus colet Deum alienum auro & argento.

D. Proſper de Præd. & Prom.

Textus pręterea demonſtrat Antichriſtũ adoraturum Deum ab omnibus Patribus ſuis ignotum. Papa vero adorat DEVM, quem ſcit, vt cuique rationis compoti manifeſtiſſimum eſt. Ex eodem oſtenditur, inquit D. PROSPER ſapientiſſime & cum illo Orthodoxi ceteri ab ineunte Eccleſia CHRISTI vſque, quos referre videbit lector Chriſtianus apud Iodocũ Coccium, quod ex Iudęis de tribu Dan iudicabit populum, qui hodieque in Perſide eſt, veniat Antichriſtus, iuxta Propheticam benedictionem Iacob Pa-

Papa DEVM adorat verũ.

D. Proſper cap. 9. de pro. & prædi.

Coccius in Theſ. Cat.

Antichriſt⁹ ex tribu Dan venturus.

Digitized by Google

triarchę dicentis: Dan iudicabit populum sicut aliȩ tribus. Fiat coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Statimq; Christum Dominum venturum ostendit, dicens: Salutare tuum expectabo Domine. Hoc etiam in Euangelio testatus est Dominus Iudęis &c. Nulla itaque hactenus in Propheta extat syllaba, quę ad Papam spectet. Consultius itaque ita dixisset hęreticus.

Sexto DEVM colet auro & argento, & lapide pretioso. Apud Catholicos spiritualis & verus cultus non perijt, Religio omnis in externo splẽdore, & magnificis Templorũ, Statuarum, Missarumque ornamentis non consistit.

Hæreticus. *Postremo addit, multiplicabit gloriam, & suos faciet dominari, & terram eis diuidet. Quis luxus, quæ gloria, quæ magnificentia, quæ potẽtia, quæ diuitiæ, quæ erant Pontificiorum, maiores esse possunt? Quidquid est in orbe iucundum, fructuosum, amœnum, pingue, optabile; id non ita pridem fuit à Pontificijs occupatum. Quare quin ista sic Romanum Pontificem attingant, vt nulli omnino mortali aptius conueniant, existimo quidem neminem dubitare.*

Catholicus. Falleris hęretice, vt mos est, falleris vtique: quia deprauas, destorquesq; Sctipturam sacram sacrilege atque in Pontificem Romanum egregie mentiris. Nam si is suos faciet dominari, & terram eis diuidet. Quomodo ad Papam pertinere

Digitized by Google

nere probabis aliquãdo iſtud, cum Regna ipſius non ita pridem, vrbes, oppida, regiones, caſtra, hisq; ſimilia iam olim a principibus fuerint occupata, atque (proh dolor) occupentur.

Ceterum velim, vt omiſſis nugis, mendacijs, ſycophantijs, calumnijs, conuitijs & blaſphemijs, quibus ſeducere, & circumuenire quemlibet conaris, verba eiuſdem capitis ea tanto ſilentio non præterijſſes. Quandoquidem ibi ſic prophetatur de Antichriſto, vt Papa doceatur impugnandus ab Antichriſto. Cor eius, ait D. DANIEL Propheta, aduerſus Teſtamentum ſanctum. Teſtamentum CHRISTI ſanctũ eſt Euangelium, Baptiſma, Primatumque D. PETRI. Item ibi: Brachia ex eo ſurgent, & polluent ſanctuarium fortitudinis, nempe ſacroſanctam Sedem Apoſtolicam polluent eius brachia videlicet Lutherus & Caluinus. Et auferent iuge Sacrificium, hoc eſt ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, vt D. PROSPER & Orthodoxi quique optime interpretãtur, quod Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, Beza, Anabaptiſtę & Sacramẽtarij, Lutherani & Caluiniani præcurſores Antichriſti per inſtinctum Satanæ, vt eorum quidam præcipui fatentur, conſummantur. Et dabunt abominationem in deſolatione, & impij in Teſtamentum ſimulabunt fraudulenter. Hi fuêre hæretici recentiores ceterorum impij, ſacrorum omnium abo-

Vaticinia D. DANIELIS de Antichriſto recentiores hæreticos notant.

Luth. de Miſ. Ang. Schwy. in Cola.

Digitized by Google

abominationẽ cũ desolatione prædicãtes, in Testamentum impij plane dolis referti. Et de Catholicis ait: Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Quod ad vnguem in Germania, in Gallia ac præsertim in Britannia Catholicis contigisse adeo patet in libris Catholicorum, & hæreticorum, vt prorsus superuacaneum sit in medium quidquã adferre. Hoc item manifestius capite septimo docet, dicẽs de Caluino, seu potius de Luthero ad verbum. Sermones cõtra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret. Quod nemo Luthero maior fecit, blasphemans DEVM peccatorum, scelerum, & flagitionem omnium auctorem, impulsorem, inspiratorem, excitatorem: In Sanctos nemo vmquam magis inuectus & debacchatus est, quam Lutherus: Et præmiserat Propheta: Tres Reges humiliabit, quod in regem Angliæ, Vngariæ ac Poloniæ Lutherum scriptis & ministris suis attẽtasse videtur. Et putabit, subiungit, quod possit mutare tempora, & leges. Hęc de Luthero, similiter de Caluino ad verbum, qui tempora Quadragesimę, cuiuscumque hebdomadę, & Festorum in profestos bacchanales, Sardanapales, & Epicureos dies ac mores vertit, & quoscumque leges Ecclesię quocumque tempore latas mutauit, & in libertatem Satanicam mutuatus est, se-

Cochlę de gest. lut. Henricus epiſto. ad Lut.

ctam

ctam à se per Diabolum suggestam introduxit, legum piarum sacrarumque libros sacrilega irrisione detestabiliter exussit.

Preterea non debebat omittere spurcissimum Britannorum Sectarius, quod D. EZECHIEL Propheta cap. 28. D. PROSPERO teste de Antichristi superbia certe prędixit: Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in Cathedra sedeo in corde maris: cum sis homo, & nō Deus. Et dedisti cor tuum quasi cor Dei. Tria hîc notāda sunt. Papa vllus numquam dixit; Ego sum Deus, nec pro Deo coli & adorari voluit. Numquam Cathedram Apostoli summi DEI Cathedram dixit, Papa non fuit vnus singularis homo, sed Papę plurimi fuêre.

Ad hęc nec Prophetiam D. OSEÆ c. 3. Prophetę silentio inuoluere debuit monstrum Anglorum, proximus inferorum hęreditati: Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, sine Altari, sine Ephod, sine Theraphin. Post hęc reuertentur filij Israel, & quęrent DOMINVM DEVM suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad DOMINVM, & ad bonum eius, in nouissimo dierum. Id confirmat Apostolus. 9. & 11. ad Roma. D. DAVID Psal. 58. D. ESAIAS. 23. & 10. At Iudęi adhuc non reuertuntur ad DEVM, & ad Dauid Regem eorum, id est Messiam, vt sacri Doctores explicant,

Vaticinia Prophetica de Antichristo minime Papā spectant. D. Prosper lib. de pro. & præ. cap. 11.

cant,

cant, igitur hucusque non venit Antichristus. Ceterum post quędam hęretici verba, de more censura adhibita in eiusque caput regesta, iterato audiamus Deum, rethorem, seductoremque Britannorum. Qui non male sic dixisset.

Postremo addit, multiplicabit gloriã, & suos faciet dominari & terram eis diuidet Antichristus. Quis luxus ac luxuria, quę inanis gloria, quę graueolentia, quę tyrannis, quę furta, quæ sunt Antichristianorum Anglorum & similium, maiores esse possunt? Quidquid est in orbe verecundum, flagitiosum, obscœuum, pestilens, & & abominabile, id nunc ab hęreticis perpetratur, & olim fuit ab eisdem perpetratum. Quare quin isti sic Antichristum hęresiarcharum Archięresiardrã attingant, vt nullis omnino mortalibus aptius conueniant, existimo quidem neminem dubitare.

Hæreticus. *Sed quando aliqui sunt, quibus nondum exploratum est, locutum esse de Antichristo Danielem, & si locutus sit, non nisi τυπικῶς locutum esse cõstat; ad nouum Testamentum veniamus, in quo nobis à Spiritu Sancto monstrum hoc Antichristianum aperte luculenterque describitur. Nec singula tamen consectabor, sed in locis illustrißimis versabor. In epist. ad Thesal. 2. cap. 2. fieri de Antichristo mentionem nullus omnino Christianus vmquam dubitauit. Quare locum illum paulò diligẽtius expendamus, & cum Apostoli Antichristo, quem eße*

verum

Digitized by Google

verum Antichriſtum neceſſe eſt, Romanum Pontificem comparemus, vt ex veris proprijsque ſignis rem ipſam agnoſcere diſcamus. Theſſalonicenſes enim ſibi falſo perſuaſerant inſtare Christi aduentum, mundique interitum: Apoſtolus hunc illis eripere conatur errorem, & doctrinam Chriſtianis omnibus perneceſſariam proponit. Simplex axioma huiuſmodi eſt, Venturus eſt Antichriſtus, antequam Chriſtus venerit. Hunc Antichriſtum varie deſcribit, vt qualis ſit futurus Antichriſtus, omnes Eccleſiæ intelligant. Hanc Apoſtoli deſcriptionem particulatim conſideremus.

Hæc rhetor captioſus, veritatis deſertor doctorque Antichriſti, quem non adhuc reperit in Propheta, nec reperiet quidem in Apoſtolo, neque in orbe terrarum, etiamſi extenſis velis huc & illuc pergeret, & per aera, vt eius protoparens Simon magus fecit, euolaret, nec in Scripturis vllis vmquam comperiet, tãtum eius imaginem vel forte ipſum Antichriſtum aliquo Angliȩ angulo aliquando inueniet. Ad eius verba ſingillatim hîc nõ reſpondeo, vt mos eſt, quia ad nugationem reſpõdendo perderem tempus & operã. Catholicus.

Nec taceo, quòd vocat fictum à ſe Antichriſtum monſtrum Antichriſtianum, nam ſi Antichriſtus eſt monſtrum Antichriſtianum, & hæretici ſunt Antichriſti D. IOANNE Apoſtolo teſte, Vuitackerus procul omni hȩſitationis ſuſpicione eſt hæreticus, certe Vuitackerus mõſtrũ Vuitackerus monſtrum eſt Antichriſtianum.

est Antichristianum. Præstat autem eidem scilicet monstro Antichristiano propinquius ad rem accedentem aures accommodare.

Hæreticus.

Primum ait, nisi venerit prius ἀποστασία. Fidei autem ἀποστασίαν intelligit, quandoquidem nec illi erat in animo de Regnorum atque Imperiorum mutationibus aut euersionibus verba facere, & id ἀποστασίας vocabulũ significat 1. Tim. 4. ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, idest, à sana doctrina descißent. Et Patres omnes Antichristi aduentum cum misera religionis & pietatis clade coniunctum fore prædicunt. Quod autem Apostolus ait, ἀποστασίαν simpliciter futuram, vniuersalem non particularẽ indicat ἀποστασίαν. Loquitur enim ἀορίστως. Atque hoc etiam ex aliorum locorum collatione certius constabit. Luc. 18. Filius hominis cum venerit, num reperturus est fidẽ in terra? Hæc illa est fidei, ἀποστασία, hæc orbitas, quam Paulus prædixit. Matth. 24. Abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum: & Ioan. in Apoc. fore præmonstrat, vt cum meretrice reges terrę scortentur, & vino scortationis inebrientur incolæ terræ, omnesque gentes de vino illo bibant.

Catholicus. Discessio præcedẽs Antichristum triplex. D. Augustinus.

Discessio hæc prædicta ab Apostolo, à Sanctis Patribus exponitur, pro ab vtriusq; Imperij spiritualis scilicet ac temporalis discessione, qua facta tũc veniet Antichristus; vt videre licet Glossam. Tract. de Antic. D. AVGVSTINVS ait: Apostolus dicit Paulus Antichristum non antea in mundum esse venturum, nisi venerit discessio

primum,

Digitized by Google

primum, hoc est, non discesserint omnia Regna à Romano Imperio: quæ prius subdita erant. Deinde ex Græcis D. IOANNES Chrysostomus; Quando Imperium Romanum fuerit euersum, vacans euadet imperium hominumque, & DEI Imperium aggreditur rapere. Quomodo euersa sunt quæ ante id fuerũt regna, vtpote Medorum à Babylonijs, Babyloniorũ à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis: ita quoque ab Antichristo, & ille à CHRISTO, & nõ amplius retinebit. Et hoc cum magna euidentia nobis tradidit Daniel. Hæc ille in 2. Thess. 2. orat. 4. Idẽ penitus D. THEOPHYLACTVS & complures Orthodoxiæ Christianæ cõpotes. D. Ioannes.

5. Accedat præterea discessio à spirituali imperio, de qua quidem doctissimus ita Engelbertus Abbas asserit: Appropinquante tempore aduentus Antichristi ueniet discessio primum regnorum omnium ab imperio, deinde Ecclesiarum ab obedientia Sedis Apostolicæ, & vltimo fidelium à Fide. Tunc enim Ecclesiæ membris influentiam suorum capitum in temporalibus, & spiritualibus non capientibus, & per consequẽs motu ac sensu gratię priuatis, locum & facultatem habebit deceptio, & dominatio Antichristi. Vnde illi, qui studium & ingenium suum adhibent ad deiectionem & detruncationem Imperij videntur directę festinare ad hoc, vt locus & fa- Admonatensis.

cultas pręparetur tyrannidi Antichristi. Hęc ille lib. de ortu. & fin. Roma. Imper. cap. 18. Eidem suffragatur B. AVGVSTINVS Triumphus, dicens: Ante Antichristi aduentum erit triplex in mundo discessio: quia primo erit omnium hominum separatio à Romano Imperio: secundo erit multorum Christianorum discessio à Fide Catholica: tertio erit separatio multarum Ecclesiarum à Romano Pontifice. Hactenus Doctor egregius orthodoxe de Pote. Eccl. q. 21. art. 4. Hæc de discessione, quam quidem discessionem deploratę Germanię duces ac principes quidam tamquam emissarij Antichristi seculo pręterito expleuerũt, quando ab Imperio Cæsaris, & ab obedientia & vnitate Pontificis Maximi per impium schisma defecerunt.

Anconitanus.

Apostasiam ab Apostolo prædictã complẽt hæretici.

Discessio deinde fit potissimum ab hæreticis, vnde D. IOANNES apertissime dicit suo tempore venisse Antichristum, videlicet in suis emissarijs, & Antichristos multos esse: cum. n. vna communis, hoc est, Catholica esset Fides Apostolorum, Discipulorum, & sectatorum quidam vt Simon, Alexander, Hymenęus, Cerinthus, Ebion, & similes alij singularem discrepantem à communi cõsensu, & diuersam opinionem adinuenerunt, propter quod Antichristos vocauit Apostolus. Discessio enim est electio singularis opinionis à cõmuni sententia Fideliũ CHRI-

Antichristi sũt scilicet hæretici.

STI

STI diſſentiens; propterea Apoſtoli in Symbolo & Patres in Cōcilio Niceno Chriſtianos appellarunt Catholicos, ideſt, viros communem ſententiam ſectantes, ſeu Fidem Catholicam profitentes. Ab hoc multi Germani, Galli, & Angli omnino diſceſſerunt, vbi ſeculo pręterito ſingularem à communi ſententia, ſeu orthodoxia Catholicę Eccleſię, quę ſemper fuit in Germania, in Gallia, in Anglia, in Europa, in Africa, ĩ Aſia, & in vniuerſo Orbe peſsime elegerunt. Quapropter Chriſtianiſſime, hęretici à Catholicis vocātur, veriſſime ab Orthodoxis pro hęreticis habētur; omnibus Chriſtianis certiſſime hęretici sūt, & ab Eccleſia CHRISTI Catholica, & Apoſtolica, & Romana inter Antichriſtos rectiſſime adnumerantur.

Diſceſſio præterea, vel apoſtaſia prædicta ab Apoſtolo particularis primum Angliæ regnum, inde Geneuæ domnium, poſtea Germaniæ ducata quædam mirum in modum explent euidentiſſime. In quibus abundauit, & adhuc abundat iniquitas contra ſacra omnia DEO dicata, contra Scripturam Dei, contra Sacerdotes DEI, cōtra Sacramenta, contra Doctrinam Catholicam, contra Diuos omnes, contra Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Martyres, quorum nominibus ex Calendario expūctis necatos pro ſuis ſceleribus latrones, & graſſatores & facinoroſos

Iniquitas apud hæreticos abundat.

alios

aliosque pro martyribus posuerunt, & coluerunt? contra DEI Matrem, cuius Festo Natalitio abrogato profanum profestum impijssimæ Anglicanæ apostatricis Elisabethę solennissime celebrant, cuius Deiparæ Natiuitatem atris litteris, & minusculis, Elisabethę vero maiusculis & rubris in Calendario suo notāt, cui etiam loco Antiphonę Diuę Virginis, hymnos canunt, vt Sanderus lib. 2. de schis. Anglica. refert, & diuam deamque cū impio Aschamo Anglo ep. fol. 255. appellant, contra CHRISTVM, cuius Corpus proculcarunt, & contra DEVM, quem blasphemarunt, & offenderunt. De quibus tot libri à Catholicis testantur, vt fieri non possit, quo vel paucissima hîc siue reprehensibili digressione recenserentur. Idque alias effeci lib. 8. de Eccl. Cath. & Iac. E. C.

Sanderus

Aschamus

Auctor.

Refriguit quoque in ipsis caritas & extincta est penitus per impium ab Ecclesia CHRISTI Romana schisma, & per pessimam ab eadem ἀποστασίαν: proinde ijdem fatentur ab odiū Papę tam impias excitasse tragœdias. Quippe qui scilicet studuerunt non CHRISTI gloriam promouere, sed odium suum in Pontificem Romanum explere.

Caritas hęreticorum refrigescit, & extinguitur. Lut. epist. ad Arg.

Fidei insuper apostasia nō fit sine apostasia illorum, qui aliam Fidem habent, vnde recentiores hęretici, vt Arianos, Pelagianos, Gręcos, & ceteros

Fides ab hæreticorum finibus exulat.

ceteros omittam, descifcentes à Romana CHRISTI Fide, ab ipsa eadem Catholica Ecclesiarum ceterarum Principe discesserunt. Et quidem misera in suis illis infelicibus regionibus Religionis primæuę ac pristinæ pietatis, vt Patres prędixêre, clade. Quod si CHRISTVS veniret, nō reperiret fidem apud eos, qui tot fidei articulos diuersos, & infidelitatis habent propemodum quot capita, sed apud suum verissimum; & certissimum Vicarium, cuius vna Catholicorum omnium qui sunt, fuerunt ac futuri sunt, Fidem, vnū Baptisma & vnum illibate depositum custoditum hactenus inueniret.

Non veniet adhuc CHRISTVS, quoniam licet Turcę, Gręci, & Hęretici ab Ecclesia Romana apostasiam fecerint, duo tamen quę CHRISTVS futura quam proxime in ipsum Antichristi aduentum præmonstrauit, hęretici complent. Surget, inquit, regnum aduersus regnum, & gẽtes aduersus gentes. Quod per omnia omnino consummarunt à Luthero hęretici Germaniæ, Gallię, & Angliæ, vt cum alijs Orthodoxis Roffensis dubitaret mundum eo tempore finem habiturum; vnde multi Anabaptistę hoc indubitate crediderūt, & Lutherus ipse quam proximum diem postremum Iudaicis Lutheranis ariolatus est, autumans mundum quam citissime finiturum, eo quod Satanas eidem nocturnis tenebris

Antichristus nondum rectus est.

Auctor ī lib. superora.

Papam

Papam esse Antichristum, quem in finem mundi omnis Christianus venturum præstolatur, patefecerat.

Deinde ait Saluator noster: Erunt, inquit, prelia opinionum. Hoc procul quacumque controuersia à Luthero ad hunc diem vsque in Europa extra Italiam expletum fateantur omnes necesse est, quod si res tulerit, vel ex ipsis aduersariorum testimonijs palam facerem. Quorum quædam apud Coccium ac libro meo presenti tempore prelio commisso videre licet.

Iodocus lib. 8. de sig. Ec. Auctor lib. super Eccl. Iac. & i pero. lib.

Meretrix autẽ quam D. IOANNES in Apocalypsi describit esse Heresim cum qua reges terræ scortantur, & vino scortationis eius inebriantur incole terræ, omnesq; gentes Iudæi, Turce, Pagani, Tartari, Greci, Armeni, Geneuani, Saxones, Germani, Alemãni, Heluetij, Anglicani, Scoti, Britanni, & Gallorum quidam de vino illo bibunt. Sequitur autem istius vini in Anglia potator & propinator Guilielmus Vuitackrus, seu potius Mortickerus.

Hæreticus.

Etenim partim Mahometismo, partim Papismo fides iam dudum pene omnis extincta est, vt fere nihil veræ priscæque fidei in orbe terrarum remanserit.

Catholicus.

Etenim partim Mahometismo, Buceranismo, Sacramentarismo, Anabaptismo, Trinitarismo, partim in Anglia, Puritanismo, Iudaismo, Græcismo, Diabolicismo, Hereticismo, & Atheismo,

Fides

Digitized by Google

Fides Catholica plane omnis extincta est, vt plene, vel fere nihil veræ priscęque Fidei in orbe terrarum hæreticorum remanserit.

Deinde Apostolus ad Antichristum suis notis designandum accedit, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui est aduersarius. His verbis Antichristum tamquam vnum quemdam hominem proponit, qui quamquam re vera non est vnus & singularis homo, tamen vnius personę nomine describitur ab Apostolo, cum propter vnum eumdemque spiritum Satanæ, quo omnes Antichristiani incitantur. Quemadmodum Regnum Christi vnum est, eamque ob causam vt olim Daniel Pardi, Leonis, Vrsi nominibus regna ipsa, multorum regum hominumque successione continuata declarauit, sic Antichristum Apostolus hominis vnius sceleratissimi imagine, totumque regni Antichristiani corpus describere voluit. Hæreticus.

Molitur Antichristianus sic incitatus, vt eiusmodi ceteri, à Satana, qui totum cum suis singularis partibus Vuitackerum occupat, contra expressum DEI verbum, Antichristum non vnum fore hominem singularem idque sine fine impudenter garrit. Sed breuiter dicam; D. DANIELEM de vno singulari homine locutum, qui furorem suum tribus annis ac medio exercebit; iuxta ipsius Propheticam & receptissimam oĩum expositioné Orthodoxorum; ac ideo, vt Catholici asserunt, & hęretici asserere coguntur, regnum Catholicus. Antichristus vnus & singularis homo erit.

diù non possidebit. Deinde D.EZECHIEL 28. Respondet de Antichristo: Dixisti, ego sũ Deus, ergo vnus & singularis, qui vnus est DEVS, cũ sit homo, hic homo singularis indicatur lucide. D.IACOB Patriarcha de tribu Dan prędixit singularem hominem nasciturũ. Item D. MOSES: Ecce egressus filius mulieris Israelitis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, iurgatus est in castris cũ viro Israelite. Quę verba inter reliquos Orthodoxus Rodulphus Flauiacensis ad Antichristum singularem hominem futurum doctissime refert, & addit illud Scripturæ: Vocabatur mater eius Salamith, filia Dabri, de tribu Dan. Salamith retributio interpretatur, Dabri lõquelam sonat. Antichristus igitur, qui per Apostolum perditionis filius vocatur, recte matrem Salamith habere perhibetur: quia damnatio, cui ipse destinatus est, blasphemijs illius retribuetur, & exinde orietur, sicut in Daniele cap. 7. expressum est. Hęc ille li. 18. in Leuit. c. 1. Quod si mater Antichristi mulier erit singularis hęc, cui nomen erit vt mulieris singularis, consequitur euidentissime, vt Antichristus singularis ac vnicę matris filius singularis ac vnicus filius ac homo erit. Apostolus propterea eum hominẽ peccati, filium perditionis, & CHRISTI aduersarium vocat. D. IOANNES ostendit nomen venturi Antichristi per numerum *666.* IESVS

Nomen matris Antichristi. Flauiacẽsis.

Iudæis

Digitized by Google

Iudęis ait: Veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, alius veniet in nomine suo, illum accipietis. Igitur Antichristus nimirum erit vnus ac singularis homo, vt etiã tuus Caluinita Beza ad 2. Thes. 2. & magister Anglorum Bucerus ap. Hoffmeiste. Dial. 2. alijq; veteres & recẽtes hæretici atque schismatici adfirmant, quemadmodum Patres & Orthodoxi omnes Doctores, ex quo illustrissima vtriusque Testamenti extãt testimonia semper crediderunt & tradiderunt. Ergo expedit CHRISTO & ECCLESIÆ credere, non vni Antichristi anteambuloni, mortalium profligatissimo, dœmonum legionibus plurimum exagitato. Beza. Bucerus.

Et quando (sequitur detestabilium hæreticorum rabula) regnum Pontificium cum Christi regno pugnat ac dimicat, atque in eodem Pontifex tamquam monarcha summus dominatur, Papam κατ᾽ ἐξοχὴν Antichristum rectissime appellamus. Hæreticus.

Hactenus Apostolici verbi deprauator; infidelis verbi DEI, perfidiosus Ecclasię CHRISTI & blasphemus Summi Pontificis, qui à CHRISTO orbis monarchiam obtinet diuinitus traditam. Quam ab Adam incœpisse, & mutua successione hucusq́ue perdurasse in Ecclesia DEI, Scripturę & Sanctorum Patrum auctoritate munitus Iodocus doctissimus demonstrat. Ceterum ipse pestis Anglorum apte Anglicanę Ecclesiæ Catholicus. Coccius in T.C.

vel si mauis synagogę capiti regi suo potissimo Henrico congruere, quę inuehitur ac debacchatur in Pontificem DEI Maximum, nisi prorsus insaniat, confiteri debet.

Et quando regnum Anglicanum cum CHRISTI Regno pugnat ac dimicat, atque in eodem rex tãquam monarcha summus dominatur, Antipapam κατ' ἐξοχὴν Antichristum rectissime appellamus.

Hæreticus.

Hunc hominem reuelari oportere dicit Apostolus, id est aperte regnum occupare, & tyrannidem suã exercere, quod quidem Papam vltra nongentos annos fecisse constat, inde usquequo Caput Ecclesiæ dici, & in Ecclesia principatum tenere uoluit.

Catholicus. D. PETRVS est Caput Ecclesię.

Non te pudet tam impudenter mentiri cum D. PETRVM & eiusdem Successorem ab antiquissimis, Sanctissimis, Sapientissimis Patribus, & Martyribus Diuis Dionysio Areopagita, Clemente Romano, Ignatio Magno, Anacleto, Irenęo, & cõpluribus, atq; etiã ab ipso D. PAVLO Apostolo Caput Ecclesię dictum fuerit & agnitum? In quo consentiunt grauissimi Orthodoxi, & omni seculo spectatissimi Patres, vt sunt Diui Cyprian. epi. ad Quint. & ad Cornel. Basil. lib. 2. adu. Euno. Athan. ep. ad Marc. Pa. Hilar. in Mat. Ioan. Chrysost. hom. 55. in Mat. Hieron. in Mat. Ambr. ser. 47. August. lib. con. epi. Don. Gregor. lib. 6. ep. 37. ad Eulog. Leo serm. suę Assump. ad

Pont.

Pont. Origenes, Tertullianus, Roffensis artic. 5. cont. Lut., Hossius, Lindanus, Eckius & cõplures. Quorum Doctor & Propheta fuit CHRISTVS, qui Primo Papę dixit: Tu vocaberis Cephas Caput scilicet.

Hunc hominũ reuelari dicit Apostolus, idest, deprauate aperte regnum occupare, & tyrannidem suam exercere, quod quidem regem nostrũ Henricum Octauum vltra septuaginta annos fecisse constat, inde vsquequo caput Ecclesię dici sub discrimine necis & in eadem hęreticorũ Iudaicorum synagoga principatum, siue per fas siue per nefas, tenere voluit.

Atque vt plane perspiciamus hunc Antichristum esse, vt nos defendimus Romanum Pontificem reliquam Apostoli Propheticã descriptionem persequamur. Hæc profanus Ethnicus, quem tu lector Catholice sic corrigito. Hæreticus.

Atque vt tetre cœcutiamus, hũc Antichristũ esse, vt nos stolide ac impie cõtra verbum, & Ecclesiam DEI defendimus, Romanum Pontificem, reliquam Apostoli Propheticam descriptionem deprauemus. Catholicus.

Tribus autem attributis Antichristum vers. 4. quæ consequuntur, demonstrat. Primo. n. se opponet atque efferet aduersus quidquid dicitur Deus, aut numen: Secundo sedebit in templo Dei: tertio ostendabit se esse Deum. Habent hæc infinitam orationis materiam: mihi Hæreticus. Tribus signis agnoscetur Antichristus.

modus

 Antithesis, qua sicut Christus non est Antichristus, modus est necessario adhibendus. Primum ergo Antichristum esse oportet ἀντικείμενον, Christo oppositū, aduersarium, contrarium, sic quidem vt Christo sese anteponat. Ita Antichristus non tantum humanos, sed etiam diuinos sibi honores sumet. An esse vnquam dubium potest, quin hoc Romano Pontifici conuenientissime congruat? Nam & Deo maior esse vult, et ei palam aduersatur. Maiorem velle esse intelligemus, si quam sibi vindicet vterque auctoritatem reputemus. Leges conscientiæ præscribere vnius Dei est, qui solus habet in nostras conscientias dominatum. Pontifex Romanus conscientijs hominum dominari vult, in quo ius Diuinum sibi tribuit, & durius seueriusque imperat, quam Deum facere debere existimat. Quis enim nescit leges Diuinas, quam Pontificias multo impurius violari, & qui Pontificem offendit, grauius luere, quam qui palam in Deum impius fuit? Stupris, adulterijs, infandis flagitijs contaminari, non magnam expiationem desiderat: huiusmodi peccata leuissimo facillimoque precio redimi possunt, attamen aut suillam aut bouillam die Veneris gustasse, id nisi sanguine eius, qui peccauit, ablui non potest. Tamen alterum Deus, alterum nonnisi Pontifex vetuit: Diuinam legem violasse ridiculum est plerumque Pontificiam neglexisse capitale. Deum blasphemis verbis periurijsque lædere nō magnum apud istos peccatum est, at de Pōtifice vel parum honorifice loqui, scelus ingens, & quouis supplicio dignum iudicatur. Sexcenta sunt huiusmodi, in quibus suam auctoritatem

Digitized by Google

Pontifex multo, quam diuinam augustiorem & sanctiorem habendam esse statuit. Quid ergo est sese supra Deum efferre, si hoc non sit? An expectamus vt Deum de Cœlo detrahat Antichristus, & solium cœleste conscendat?

Quibus fucis, quibus technis, nenijs, nugis, imposturis, sycophantijs, mēdacijs, calumnijs, conuitijs, & blasphemijs plane sacrilegis decipere tentas lectorem, nisi quis talpis cœcior est perspicue videt. Quis autem ęquo animo ferre vmquam poterit mendacium longe impudētissimium, quo, Papa Deo maior esse vult, mentiris. Ipse enim se seruum DEI, imo seruum seruorum DEI fatetur, DEVM in Spiritu & Veritate adorat, ei summisse seruit, eius Sanctis seruis honorem propter ipsum DEVM exhibet, quin Imaginem ipsius CHRISTI, Matris eius & Sanctorum omnium propter DEVM geneflexus colit ac veneratur. Quamquam ab ipso DEO Caput Ecclesię visibile constituatur, vtramque potestatem à Christo habeat, quemadmodum Euangelistę testantur, & confirmant Ecclesię sacri Doctores, & Orthodoxi Patres, vt puta D. GREGORIVS Theologus, D. AVGVSTINVS, D. BERNARDVS, & D. THOMAS, qui vnus longe plus nouit quam quotquot simul ante Lutherum suo tempore, ac postea erant, sunt ac futuri sunt hęretici, nihilominus Papa omnium

Catholicus. Papa omnium minorem re dicit.

minorem

minorem cum ſit maior, ad exemplum & documentum Chriſti, ſe facit, gladioque altero, vel altero, quando oportet, propter DEI honorem vtitur.

Calumniæ Vuitackeri i Romanū Pontificē abſtergūtur.

Ita Iudęi ſicut tu Vuiperckerus CHRISTO obijciebant, neminem niſi ſolum DEVM poſſe peccata dimittere; & ſi vncias Chriſtianitatis retineres hanc auctoritatem in conſcientijs hominum Sacerdotes, Epiſcopos, & Papam habere fatereris. Quare in primitiua Eccleſia priuatus Epiſcôpus nomine Cephas poteſtate legitima vtebatur, & ſi male quando ad legalia, iudicialia, & cęremonialia ſeruanda cogebat Chriſtianos. A quorum pondere Apoſtoli Hieroſolymis in Concilio congregati exonerarunt Fidelium Chriſti conſcientias, qui nimiopere onerabantur, quibus tamen à ſuffocata carne & immolato ſanguine Dijs abſtinere pręſcripſerunt; quanto magis hęc & his ſimilia poteſt Papa, qui D. PETRI, qui CHRISTI veriſſimus Succeſſor eſt, cui ſoluere & ligare conſcientias ſummum & ampliſsimum ius Diuinum à DEO traditum eſt, quod niſi perfidioſus Turca, vel Ethnicus, ſeu Iudęus, aut hęreticus, qui nec CHRISTO, nec Eccleſię credit, negabit.

Solent pręterea Principes ſæuius imperare ac punire illos, qui eorum leges uiolant, quam qui Leges DEI trāſgrediūtur. Aliôqui nullū metum

Princi-

Digitized by Google

Principũ haberent populi ſubditi. Nulla quoque eſt offenſio Principum, quin DEI quoque ſit. Et potiſſime qñ Summum Pontificẽ quis offendat, cuius voci niſi quis obediat DEVS in Lege præcipit, vt necetur. Et CHRISTVS iubet vt Succeſſores eius audiantur & obediãtur, tamquã ſe. Idẽ docet D. PETRVS Apoſtolorũ Princeps dicens: Obedite præſulibus veſtris ẽt diſcolis. Hoc idem oẽs Sancti Patres, & Doctores cõmẽdant. Lombardus.

De ſtupris, adulterijs, & infandis libidinibus ſęuiſſimas pœnas ſumit Põtifex ſupremus, nec ex his vllus impune abijt vmquã ſi accuſatus & captus fuit à ſetellitibus. Vt.n. Petrus Lombardus fatetur, ĩ adulteros leges Pont. Max. sũt ceterarũ ſęuiſſimę. Et infandę libidinis viri igne exurẽtur. Lombardus lib.

Sed qui carnem die Veneris comedunt, non tam acriter puniuntur, quam mendax ſcriba noſter mentitur, niſi adſit opinio hæretica, infirmi carnem comedere permittuntur.

Blaſphemus in DEVM certe non euadit impunitus, cum in hoc tum in futuro ſeculo, at blaſphemus in Pontificem DEI, quia talis DEVM offendit, Pontificem Maximum lædit, proximo affert ſcandalum, & non bene ſentire de eius Auctoritate indicat, ſicut qui carnem bouinam die Veneris edit, cum hęc ita ſint, & reus ore proprio vel teſtibus cõuincatur, niſi eum pœniteat, quia tunc miſericorditer ſecum agitur, ſæuius merito

L punitur,

Digitized by Google

punitur, quam qui DEVM blaſphemat. Sicut CHRISTVS præbuit exemplum, quando dimiſit adulteram impunem, & flagro vendentes & ementes in Templo eiecit ac ſubuertit nummos. Qui autẽ blaſphemat in DEVM hæretice viuus igne comburitur, quemadmodum Vuitackerus & oẽs hęretici merentur. Quocirca videmus Canones Apoſtolicos, Canones Cõciliorũ, & Pontificum Maximorũ Leges cõſcientijs iuſtiſſimas præſcribere, vt pœnas luant iuſtiſſimas ac ſæueras pręuaricatores Legum, quę ad eorum vtilitatem; ad recte viuendum, & bonos mores cuſtodiendos latæ ſunt, vt Pax, Caritas, Concordia, Fides, Doctrina, Religio, Reſpublica Chriſtiana, obſeruantia diuinorum mandatorum, & cultus & honor DEI intemerate & inuiolate ſeruetur ac maneat. Quapropter earumdem Spiritum Sanctum, qui regit & gubernat Eccleſiam, quę ipsũ fideliter inuocauit, Chriſtiani omnes agnoſcunt, & confitentur auctorem.

Denique melius erat vt hæreticus Anglus de Legibus ſileret, quam tam mendaciter, perdite, inique ac nequiter loqueretur, cum nulla vmquam ciuitas, nulla vmquam regio, nulla regna, nulla pars Orbis quantumuis barbara, quãtumuis Turcica, quantumuis Ethnica, in orbe aliquando reperta ſit, quæ leges in omnes Chriſtianos, imo in quemcunque minimum morẽ Chri-

ſtianitatis exercẽtem, iniquiores, nequiores, ſceleſtiores, execrabiliores, deteſtabiliores, abominabiliores, profaniores itẽque iniuſtiores ac magis ſuperſtitioſas, magis ſacrilegas atque infernales cõſtitueret, quam leges pecuniarias & ſanguinarias, quam impijſſimi mortalium Angli præſcripſerunt, publicarunt, typis mandarunt, explerunt, ac vſque ad hæc tempora peſſime fouent. Quid ergo vis amplius?

Aduerſari autem Chriſto Pontificem non ex aliqua parte, ſed ἁπλῶς & καθολικῶς paucis docebo. Neque enim aut calidum frigido, aut albo nigrum magis repugnat, quam Chriſtianiſmo Papiſmus, & doctrinæ Euãgelicæ profeſſio Pontificia. Nam Deum quem, aut qualem faciunt, quando idolis innumeris ſeruiunt, & totum mundum idololatria ſua complent? Vbi enim vnquam, vel apud Græcos, vel Ægyptios, vel Romanos veteres aut ſimulachra frequentiora, aut εἰδωλομανία tetrior fuit, quam fuiße in Eccleſia Pontificia, & eßa adhuc cognoſcimus? Hæreticus.

Ad hęc toties irrefragabiliter reſponſum eſt à Catholicis, vt nonniſi ſuperuacanee quidquã dici poſſet, niſi iſtius diabolici hæretici profana verba, impia mendacia, & flagitioſæ blaſphemię cogerent. Neque enim aut calidum frigido, aut albo nigrum magis repugnat, quam Chriſtianiſmo Sacramẽtariſmus. Nam venerabilium Imaginum vſum ab Apoſtolis, Eccleſiã à SPIRITV Catholicus. Venerabilium Imaginẽ cultus perperã reprehenditur.

SANCTO edoctam, ductumq;, ut CHRISTVS pollicitus est, accepimus, credimus: hanc nõ posse peccare cum Sanctis Patribus cõfitemur; Diuinis miraculis illum confirmatum asserimus & scimus: Diuos ATHANASIVM, BASILIVM, AVGVSTINVM, GREGORIVM, & ceteros Diuos vlla idololatriæ suspicione affectos cum omnibus Christianis, qui fuerunt ac sunt constanter negamus; & aliter dicere magnam esse blasphemiam in Cœlites omnes rectissime censemus: DEVM, qui mirabilis est in Sanctis suis, quosq; nimis honorat, ante imagines prę ingẽti fide, qua tamquam pręsentes nos audire, videre, & adiuuare confidimus, quamquam sint in Cœlo, ob DEI honorem, quem solum latriæ cultu adoramus, duliæ pia & religiosa ueneratione omnem idololaltriam execrantes ac detestantes, hõnoramus. Qui ergo hoc dãnat ter Diabolo mancipetur. Quod ante me spectatissimi Patres præfecerunt. Qui venerandas Imagines idola appellat, anathema sit. Qui dicunt, quod Christiani Imgines, ut Deus, adorant, anathema sit. Qui audent Ecclesiam Catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema sit.

Conciliũ Nicę. sess. 2. & 7.

Hæreticus.

Et fieri posse ex tenui, modicoque crustulo Deum, cum primum sacrificus paucula, ex impuro ore verba efflarit, quæ insania, quæ sacrilega in Deum blasphemia est.

Hæc

Hæc verba ad verbũ in te vertat lector: quippe quæ ad nos non pertinent Catholicos, qui impugnamus Lutheranos, ac negamus Christi corpus nedum crustulum in DEVM conuersũ esse, & totis conatibus Vbiquistas sugillamus; cumq; te Luthero Vbiquistis dissentire aduertimus, vos oẽs à patre Diabolo esse quippe dissensionis auctor est, & ꝓpterea vos irridemus, exsibillamus, sugillamus, sicut Cœlites faciũt, vt scriptum est: Qui habitant in Cœlo irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Audisne draco Anglicane, quẽ DEVS ad illudendum formauit? Nota grauiora his vbi te filium Diaboli notabo: Qui loquitur mendacium, ait, filius est Diaboli, sed tu locutus es ac loqueris mẽdacium, ergo filius es Diaboli D. IOANNE Apostolo teste. Catholici. n. numquam dixerunt crustulum panis in DEVM conuerti, sed in CHRISTI gloriosũ Corpus, vt mortalibus omnibus manifestissimũ est. Igitur apertissime atque pariter impudentissime mentiris. Nec semel, quando subiungis.

Catholicus.

Vuitackerus est filius Diaboli.

Deum ergo nullum habent, & Christum multo minus, quem miris modis violarunt, distraxerunt, lacerarunt.

Hæreticus.

Tuo regno hæc maxime competunt, verba. Anglici siquidem quidam DEVM non habent: quia athei sunt. Alij, quoniam hæretici sũt. Item quia à Vicario DEI rebellarunt, à Romana

Catholicus.

Angli neque Deũ, neq; Christum habent.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTI Catholica Ecclesia defecerũt, à DEI cultu apostatarunt. Deinde quia contra Euangelium pugnant, ac ideo idololatræ sunt, dicente D. PROSPERO in Psal. 135. Omnes CHRISTI Euangelio resistentes, idolorum cultores sunt; quia Deum habent Dæmonem: quandoquidem per excommunicationem Diabolo sunt mancipati.

D. Prosper.

Nec CHRISTVM habent: quippe qui diris modis violarunt in Sponsis suis sacris Virginibus, in fide semel suscepta; distraxerunt & lacerarunt in Scripturis vtriusq; Testamenti, in Religione sua, & in suis Sacerdotibus, quos tormẽtis, cruciatibus sæuissimis, ac plusquam Tyrannorum barbarie, & Turcorum feritate trucidarunt.

DEVM ergo nullum habent Angli omnes qui non sunt Catholici, & CHRISTVM multo minus, quem diris modis violarunt, distraxerunt, lacerarunt.

Hæreticus.

Hominem esse Christũ docemur in Scripturis: homo autẽ esse non potest, si est infinitus ἀπερίγραπτος, ἀόρατος, qualem nobis hominem Christum Papistæ fingunt. Superficiem illam Mathematicam, quam in Missis suis adhibent, quæ ita subtilis est, vt nihil crassum habeat, Christum hominem Deumque faciunt. Dicant hic mihi, quemadmodum in vllo corpusculo, Christi Diuinam atque Humanam naturam distinguant. Cuiusmodi

corpus,

corpus erit, quod omni magnitudine careat, quod sensum omnem fugiat, quod locos innumeros & remotissimos occupet? Sic Christi personam destruunt.

Optarem vt aliquando modum tuorum mendaciorum, metam tuarum stropharum, dolorum Satanicorum & hæreticorum sycophantijs finem adhiberes. Vbique scaturiunt mendacia, vbique sycophantiæ, vbique maledicentiæ meretriciæ passimque conuitia infernalia. Papistæ enim non sumus, sed Catholici, qui Papam pro Vicario CHRISTI accipimus, & veneramur, detestamur te qui sectaris Iulianum Apostatam parentem Henrici tui regis ac tuum qui Cathocos nos quia CHRISTVM Nazarenum credimus, Nazarenos appellabat. Sic Donatistæ, Cathari, Pelagiani, & reliqui Hæretici perpetrarũt, quando se Catholicos, & Christianos appellarunt. Vnde patet eorum esse morem perpetuum Catholicos traducendi, seque magnificis ampullis extollendi. Sed imperitum Mathematicum nostrum vellicamus, & per Prospectiuam scientiam videamus, quas impietatis nugas blateret.

Catholicus. Vuitackero maledicendi null' modus.

Calumniandi hæreticis mos perpetuus.

Dico itaque iterum non nos, sed Lutheranos Christum hominem Deum facere; Diuinamque cum Eutychio suo protoparente post Lutherum, & Humanam naturam confundere. Petis quomodo CHRISTVS sit in Hostia consecrata,

Fidei ratione non demonstratur.

quod

quod te docere nõ possumus, ea ratione quia tu nõ credis ac ideo intelligere nõ poteris. Nisi crediderítis, ait Propheta, non intelligetis. Tu vero negas CHRISTI Corpus ibi adesse præsens, vt CHRISTVS asseruit, & Ecclesia Catholica omnibus seculis à CHRISTO vsque exordiendo, quemadmodum Roffensis & Ioannes Garetius illustrissime & copiosissime per omnium ætatũ, nationum, & prouinciarum sexdecim annorum centenarios, demonstrarunt, quamobrem nõ intelliges. Quamquam neque si credideris (quod DEVS tibi & omnibus Anglis præstet) non intellexeris, cum hoc capacitatem superet humanam. Quod si possemus docere, tum scientiam, non fidem recte appellaremus. Sunt equidẽ plura quę credimus, nec videmus, nec intelligimus, nec intelligere possumus, vt in exẽplo est, quod DEVS sit Trinus & Vnus, & Vnus & Trinus, quõ Mundũ ex nihilo patrarit, sese carni cõmunicarit humanę, & his nõ absimilia. Vnde D. AVGVSTINVS de Incarnatione Verbi disceptans optime asserit, totam facti rationem esse potentiam facientis. Ac nos, qui Diuinam credimus Omnipotentiam eidem deferimus quæ capere nullatenus valemus. Sed dicat perfidiosus Vuitackerus, quomodo CHRISTVS super aquas sine pondere ambulauit, ianuis clausis ad Discipulos intrauit, ex Virginis vtero inuiolato egressus sit,

D. Augu. Tract. de Incar. V.

sus sit, quod si præstare poterit, nos quoque vicissim ad interrogata respondebimus. Tamen, nũc dico Guilielmum Ocxam Anglorum decus in acutissimo de hoc Sacramento Diuinissimo Tractatu, asserit Christum ibi sine vlla corporis dimensione manere, cui ceteri concordant Theologi, quia in his quæ capere nequimus, magis imperfecta negando, quam asserendo, vt periti norunt, docemur. Demum dicam tibi quomodo CHRISTVS in sacra Hostia maneat, ideſt, qua quantitate vt petis, quãtitate scilicet inaspectabili ac incomprehensibili Corpus CHRISTI sine descriptione continente: ita enim existit Corpus CHRISTI sine quantitate dimensionis, sine altitudine, & latitudine circumscriptionis, vt etiam alibi sine alteratione, sine mutatione, ac sine descriptionis multiplicatione existat. Quæ si non credis, crede quod vis, & senties quod non vis.

Ochas Tract. de Sac. Al.

CHRISTI Corpus, qua quantitate existat i Hostia, noue docetur.

In officijs vero Christi turpius adhuc & perniciosius errant. Quid enim Christo omnino integrum relinquunt, si est Christus noster Sacerdos, & sunt huius Sacerdotij duæ partes, altera vt sese pro nobis in vnicum perpetuumque sacrificium offerat, altera vt preces pro nobis faciat; quid est quod Pontificij Christum quotidie offerunt; quid quod mediatores innumerabiles constituunt?

Hæreticus.

In officijs vero CHRISTI turpius adhuc, &

Catholicus.

 perni-

perniciosius, quam vmquam alij Christicidę Sacramentarij, errant. Quid enim CHRISTO omnino integrum relinquunt? Si est CHRISTVS noster Sacerdos, & summi huius Sacerdotij duæ partes, altera vt sese pro nobis in vnicum perpetuumque Sacrificium semel offerat, altera vt preces pro nobis faciat, quid est, quod Sacramentiperdæ Christum nec quotidie offerũt, quid quod Diuinissimi Sacrificij proditores inexorabiles constituunt.

CHRISTI sacrificium recte offertur. Lib. Iac. Eccl.Ch. cap.229.

Quid mali facit Ecclesia CHRISTI, cum in memoriam CHRISTI, vt ipse iussit, quotidie Sacrificium illud Trinitati sacrosanctæ & adorandæ offert, per quod Cœlum IESV Fidelibus patuit, quod hęretici exilio relegarunt Sacramẽtarij, ad parãdam viam Antichristo salutari scilicet suo. Hinc est, quod inuitis portis inferi Ecclesia religiosissime cantat de Sacrificio à IESV oblato, & de eodem à Sacerdotibus, quos idem IESVS Christus suo loco Mediatores Fidelis populi constituit, quotidie celebrato, O salutaris Hostia, quę Cœli pandit ianuam, Bella premunt hostilia, Da robur, fer auxilium. Ceterum omissis quæ Ecclesia DOMINI semper tradidit, ac tradit; ea enim complures Theologi spectatissimi seculo præterito patefecerunt, de sacrosancta Missa, cuius laus & vtilitas nullus est finis, perfidiosissimum calũmniatorem patienter,

Digitized by Google

ter, si possibile est, audiendo, feramus.

Si Christus Propheta noster est, cur illius doctrina contenti esse nolunt, quorsum humanas traditiones legesque desiderant? Hæreticus.

Si CHRISTVS Propheta noster est, cur illius doctrinam credere nolumus, quorsum Diuinas traditiones pro humanis nostri considerant? Catholicus. Traditiones Ecclesiæ suscipiendæ.

IESVS Christus itaque non omnia Ecclesiam docuit, vt ipse testatur, sed SPIRITVM SANCTVM promisit Doctorem omnis Veritatis. Apostoli plura docuerunt, quæ scriptis eorũ minime extant. Multa quoque SPIRITVS SANCTVS per Sanctos suos docuit, quæ perfidiosissimi nostrorum seculorũ Iudæis, Ethnicis, Turcis, ac Tartaris deteriores hæretici summa iniuria, summoque damno suo non credunt, cumque sint homines carnales Diuinas quasi humanas traditiones autumant, & cum sint bestiæ nulla rationabili causa ad credendum adducuntur, & cum Diabolo per excommunicationem subijciantur, easdem præ odio Ecclesiæ Christi impugnant, cumq; demum emissarij sint Antichristi, CHRISTI Ecclesiam manibus, & pedibus traducere, insectari, destruere, & abolere iniquissime, & noquissime conantur.

Si Christus noster rex est, quid Pontifice opus est alio rege, qui nostris conscientijs, totique Christi Ecclesiæ imperet? Hæreticus.

Digitized by Google

Catholicus.

Si Christus noster inuisibilis Rex est, quid visibili non opus est alio Rege, qui nostris consciētijs, totique Ecclesiæ CHRISTI imperet.

Caput in Ecclesia visibile est necessarium.

Caput in omni Regno necessarium, vnde in aspectabili Regno CHRISTI, quod est Catholica Ecclesia Caput necessarium est, vtputa Pontifex altissimus q. Sacerdotibus omnibus præsideat, & Regibus ac Cęsaribus pręsit ac imperet, nisi Ecclesia quę est CHRISTI Spōsa ac Regnū, monstruosum capite carens cōstituere velimus, & vnitatem Ecclesiæ ab Apostolo commendatam, & Sanctis omnibus custoditam & prædicatam, item Cultum intemeratum, Fidem, Baptisma, Euāgelium, & Sacramenta labefactare, corrumpere, lacerare, discerpere, ac delere de more hæreticorum amemus. Cumque Vuitackerus apertissime asserat Papam Christi Ecclesię imperare, Papæ Regnum non esse Antichristi, sed CHRISTI, Papamque esse CHRISTI Vicariū, quem ipse instituit, & Ecclesia agnoscit semper & adhuc omnino agnoscit, euidentissime consequitur. Quare miser Anglus incidit in foueam, quam fecit, laqueo suo se suspendit, suisque verbis ceu iaculis confodit.

Vuitackerus suis se iaculis confodit.

Hæreticus.

Quare si is sit Antichristus, qui Iesum esse Christum negat, quemadmodum Ioannes docuit, Pontificem Romanum esse Antichristum constat, qui Christi Sacerdotium, Regnum, Prophetiam sustulit?

Quare

Quare si is sit Antichristus, qui IESVM Christum negat, quemadmodum Ioannes docuit, regem Anglicanum esse Antichristum constat, qui CHRISTI Sacerdotium, Regnum, Prophetiam sustulit? Catholicus.

Istud hæretici Anglici negare non poterunt, quin ipsimet CHRISTI Regnum, Sacerdotium, ac Prophetiam, qua in destructionem Ecclesiæ abutuntnr, sustulerunt. Sacerdotes IESV ab infestis eorũ regionibus longe explodũtur, CHRISTO sacra exhibere non permittuntur; imò præteritis annis plusquam tyrannice & diabolice expulsi sunt, diuexati sũt, ac trucidati sunt. Contra vero Sacerdotium Christi Põtifex Maximus maxime complet, nec adumbrat tantum, vel fingit, vel cum hæreticis (quod absit) imaginatur, sed consummat penitus, vt præsens Ecclesia CHRISTI, Apostolorum plane Ecclesiã repræsentet ad viuum, Regnum à IESV per D. PETRVM & Successores eius rectum, auctum, dilatatum, custoditum, protectum, & glorificatũ, summa Pietatis cura, & Christiano studio gubernat & magnificat. Prophetias CHRISTI cũ omnibus Sanctis Doctoribus, & Patribus, Apostolis, Euangelistis, Prophetis & CHRISTO optime & rectissime credidit ac credit adimplendas; & potissimum illas credit expletas & explendas, quas Angli minime credunt, & infideliter impugnant,

Angli Sacerdotiũ CHRISTI, Regnum, & Prophetiã sustulerunt.

gnant, quando IESVS D. PETRO dixit: Tu vocaberis Cephas. Item illi illiusq; Successoribus: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferis non præualebunt aduersus eam. Rogaui pro te Petre vt numquam deficiat Fides tua. Tu quandoque conuersus confirma fratres tuos. Pasce oues meas. Rege agnos meos. Pasce oues meas. Tibi dabo Claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solueris super terram, solutum erit & in Cœlis.

Hæreticus. *Non possum omnes Euãgelicæ doctrinæ partes percurrere, vt quid Christo Pontifex in singulis contradicat, exponam, & hæc leuiter cursimque attigi, quia non locos communes tractare sed nostræ defensionis rationem breuiter explicare debeo.*

Catholicus. Non possum omnes hæreticæ partes percurrere, vt quid CHRISTO rex Angliæ Henricus notorius hæreticus in singulis cõtradicat, exponam, & hæc leuiter cursimque attigi, quia nõ locos communes tractare, sed nostræ professionis persuasionem breuiter inuoluere debeo.

Papa in nulla re sese Christo opponit. Non possum amplius dissimulare, satis patiens fui hactenus, expectabam, vt ampullas tuas iactares vento plenas, quibus pollicebaris te ostensurum, quod Papa CHRISTO sit contrarius, aduersarius ac sese eidem opponat, quod

nihilo-

nihilominus præstitisti. CHRISTVS enim nobis attulit Euangelium, Papa probat & cõmendat. CHRISTVS iubet seruare omnia quęcumque præcepit, idem perficit Papa. CHRISTVS commẽdauit præceptũ Caritatis, Fidem, Spem, & Opera bona tamquam necessarias ad salutẽ, & Papa eadem eodem modo prorsus commendat. CHRISTVS credentes baptizari iussit in Nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, hoc idem iubet Papa. CHRISTVS prætulit Virginitatem Matrimonio, Opera supererogationis præceptis præposuit, male merentibus bene mereri, male precantibus bene precari hortatus est, idem Papa hortatur, & operatur, dum Regibus impijs, & ceteris Ecclesiæ persecutoribus, si ad pœnitentiam redeunt, ignoscit, pro maledictis hæreticis iubet sæpe, & sæpissime admonet DEVM orari. CHRISTVS docet compellendos homines intrare Regnum ipsis paratum, & Papa per excommunicationem compellit hæreticos, & schismaticos, vt ad Regnum DEI reuertãtur. CHRISTVS nuptias sua præsentia honorauit, Papa suis Decretis honorat. CHRISTVS cõcessit Sacerdotibus potestatem remittendi peccata, Papa hoc idem demandat, eisque concedit. CHRISTVS creauit Discipulos, Episcopos, Papa item. CHRISTVS Discipulos septuaginta, duos habuit Cardinales seu principales, Papa ab

hoc

Digitized by Google

hoc non recedit. CHRISTVS habuit vtramque potestatem in Cœlo, & in Terra, & hanc tradidit D. PETRO, pariter Claues Regni Cœlorũ, Caput Ecclesiæ fecit, Monarcham constituit, Vicarium suum esse voluit, iussit, Summumque Ecclesiæ Pastorem posuit, Papa idem credit ac docet cum Ecclesia CHRISTI quæ fuit semper, quæ est, & quæ semper futura est. CHRISTVS Sacramentum Corporis sui instituit, & Ecclesiæ commemorandum pręcepit, Papa hoc honorificentissime & plenissime iubet ac peragit. CHRISTVS Sacramentum Pœnitentiæ, Confirmationis, Ordinis ac ceterorum instituit. Pater Patrum Papa eadem ab eodem instituta tradit, & intemerate custodiri iubet. CHRISTVS iubet audiri Ecclesiam, Papa eum sequitur. CHRISTVS lupos cauẽdos, pseudoprophetas, & pseudochristos docuit, nec aliter Papa vmquam docuit, atque curauit. CHRISTVS Gratiam & Liberum Arbitrium erudiuit, istud idem effecit & Papa. CHRISTVS Ecclesiæ suæ ædificium à D. PETRO promanandum & propagandum asseruit, eidem subscripsit Papa. CHRISTVS affirmauit portas inferi numquam præualituras aduersus Ecclesiam, quæ super D. PETRVM fundanda erat, idem omnino confitetur & experitur Papa.

Sed deficeret tempus si velim cuncta percur-

rere, quæ Pontifex Maximus habet conformia, consonantia & paria CHRISTO, cui in nullo quidem eidam sese opponit, si tamen iustus ac sanctus est, vt decet. Propterea mendacem scribam rursum redarguamus sic mentientem.

Quare, vt omittam cetera, atque hunc locum concludam, sic affirmo, omnem illam doctrinam, quæ salutis nostræ causam mediamque proponit, et quæ cultum Dei siue externum, siue internum præscribit, esse à Pontificis corruptam, perditam, euersam. Quod cum ita sit, vere dici Pontificem ἀντίχριστον consequitur. Hæreticus.

Mentiris, vt assolent hæretici tui similes, hæretice Britanne, cum etiã Luthero teste omnium alioqui hæreticorum Romani Pontifici infensissimo, Papa habeat verum Baptismum, verũ Catechismum, verum Symbolum Apostolorũ, Nicęnum, & Athanasianum, Euangelium; quatuor credat Concilia, quæ ipsi vos Sacramenti IESV Christi perditores facinorosissimi recipere gloriamini, item totum vetus Testamentum, atque totum nouum, & vestigia veræ Ecclesiæ & his similia, vt Caluinus, & ipse tu quoque asseris, quemadmodum libro hoc tempore typis commisso hær. 176. patefeci cum Concilio Tridentino fateris. Quod quidem Testamentum tam vetus quam nouum à nemine magis quam à tuis Sacramentarijs corruptum, perditum, euersum esse totus mundus testis est, ac ipse quoq; DEVS Catholicus. Sacramẽtarij extimij corruptores verbi DEI.

per Scripturas & per Ecclesiam testatur, quemadmodum illustres Ecclesiæ DEI Romanæ Doctores demonstrauerunt lucidissime & irrefutabiliter. Quamobrem verba tua tibi regnoq; Anglorum maxime congruunt in conclusione ita.

Quare, vt omittam cetera, atque hunc locum cōcludam, sic affirmo, omnem illam doctrinam, quæ salutis nostræ causam mediumq; proponit, & quę cultum DEI siue externum, siue internum præscribit esse à Sacramentarijs Anglię omnino fere totam corruptam, perditam, euersam: Quod cum ita sit, vere dici regem illius ἀντικείμενον consequitur.

Hæreticus.

Ne quis autem Antichristum externum fore hostem somniet, qualis est Mahometes, subiungit Paulus, illū in Dei templo, idest, in media ipsa Ecclesia sessurū. Erit ergo domesticus, non externus aduersarius, clam Christum, non palam oppugnabit, quamquam erit Christo summus inimicus, tamen fidem, religionem, amicitiam, consuetudinem cum Christo simulabit, quo magis hunc perniciosum esse hostem intelligamus. Ita Pontifex Romanus, quamquam Christo per omnia aduersatur, tamen sedem sibi in medio Dei templo populoque collocauit. Nam & se Christi Vicarium, & suam synagogam Christi veram Ecclesiam, & suos omnes, veros Catholicos esse defendit, qui se ab illo disiungunt, hæreticos esse clamat. Sic & sibi titulum, nomenque Ecclesiæ vendicat, & alijs detrahit vniuersis, atque hoc est, quod

Pau us

Paulus illum in Dei templo sessurum significat.

Nectis mēdacia mēdacijs, copulas sycophantias sycophātijs, adijcis deprauationes deprauationibus, & blasphemias blasphemijs adiungis. Cū D. PAVLVS clare dicat Antichristū ī medio Templi sessurum, perperam interpretaris, in media Ecclesia. Templum ex lapidibus conflatur, Ecclesia ex CHRISTI Fidelibus constituitur. Quare praue corrumpis verba Apostolica ac ipsi Apostolo tamquam Antichristi anteambulo tete opponis. Quinimo etiam D. EZECHIELI Prophetę reclamas, quippe asserit Antichristum sessurum in Cathedra. Repugnas & Ecclesię quę fuit ac est, quæ tradit vnanimiter & constantissime iuxta verbum DEI, in Templo Salomonis, quod adhuc extat, Iudæū Antichristū sussurum. Catholicus. Antichristus sedebit in Tēplo Salomonis.

Sed si concedo tibi, quod tam sacrilege Paulina verba extorqueas ad tuum sensum, audi rursum, quam tecum ex diametro pugnabunt. Si.n. Antichristus sedet ī media Ecclesia DEI, isq; est, vt blasphemas impijssime, Pontifex Romanus, irrefragabiliter consequitur, vt Ecclesiæ CHRISTI præsideat Antichristus.

Vltra, cum Papa sit Ecclesiæ Caput, eiusque Ecclesia, in cuius medio sedet, sit Ecclesia CHRISTI, sequela est necessaria, vt Papa sit CHRISTI Vicarius, qui neque CHRISTVS est, neque Antichristus. Papa Dei Vicarius est.

Digitized by Google

Accedat, quod si Papæ Ecclesia, vt Vuitackerus contra DEVM, & Diuos omnes sine fine impudẽter blasphemat, sit synagoga, pessimus Vuitackerus sibi repugnat: quoniam explicuit verba Paulina, in medio DEI Templo, in media DEI Ecclesia, quæ neutiquam synagoga est.

Idem prætereа obtruncat verba D. PAVLI dicentis. In medio DEI Templo, cum mutilate sic detruncat, idest in media Ecclesia ipsa Ecclesia, omisit, DEI, quia vidit à D. PAVLO se conuinci, quoniam sedens in media Ecclesia DEI, tamquam Caput, nonnisi verus DEI Vicarius esse potest.

Postremo si Templum DEI, vel Ecclesia DEI est illa, cui præest Papa, & is est Antichristus, palam est ex impio Vuitackero D. PAVLVM, appellando Ecclesiam DEI ac Templum DEI, Ecclesiã Antichristi, blasphemasse, quod dictu impium ac blasphemum est.

Hæreticus. *Multi venient, inquit Christus, in nomine meo, dicentes, ego sum Christus: Quid est in Christi nomine venire, nisi se Christi Vicarium vsurpare? id cum Pontifex palam facit, tum præter Pontificem nemo vmquam fecit.*

Catholicus. Multi venient, inquit CHRISTVS, in nomine meo, dicentes, ego sum Christus: quid est in Christi nomine venire, nisi se Christi sectarium, vel Caput Anglicanę Ecclesię se fingere? id cum

Calui-

Caluinita Vuitackerus, & rex Henricus Anglus facit, tum præter ſectarium ac regem nemo hæc fecit.

Quam temere Scripturam peruertit, & vi trahit ad ſenſum, quem nemo Orthodoxorum excogitauit vnquam, nemo non reclamauit fidelis Scripturæ interpres. Sed donemus id impietati Caluinitarum, qui volũt vt Eccleſiam ipſorum, nõ ipſi Eccleſiæ arbitrio cedant teſte Ochino Caluinita. Cum vero CHRISTVS dicat, Multi venient in nomine meo, & Pontifex Romanus vnus ſit, multorũ numerus ĩ eodẽ nõ quadrat, vnus vno mõ vnus eſt Põtifex & altero quia Antichriſtus. Multi aũt Antichriſti à Chriſto vẽturi prædicuntur, qui, vt ipſe ſpurciſſimus hæreticus Vuitackerus ſuperius teſtatus eſt, erunt hæretici, qui verbum DEI, Chriſtumque frequenter in ore habent, & in eius nomine falſa quæque confingunt; qui dum iactant, hîc vel illîc Chriſtum adeſſe, nos non debere illis credere CHRISTVS præcepit. Iam olim & à Luthero illo ſpurciſſimo ſectario, vt ad finem Libri mei his diebus editi in lucem patefeci, prodierunt hæretici, qui ſe eſſe Chriſtum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos gloriabantur, ergo non Papa, ſed hi Chriſti nomen vſurparunt penitus.

Caluinitarum impijſſima arrogantia.

Bernardinus Dial. 8. in terreno. Deo.

Auctor. ĩ Perora. lib. Iacul. Ec. Chri.

Adde, quod peccat in Dialectica imperitus Vuitackerus præclarus ſcilicet Anglorum magiſter,

Vuitackerus magiſter An-

glorũ imperitissimus.

ster, regiusque professor in Diabologia; quandoquidem non omnes, qui venient in nomine DOMINI, sunt Antichristi, cum Apostoli, Euãgelistæ, Discipuli, Sancti, Martyres, in nomine DOMINI venerunt, sed illi tantum, qui nomen Domini profitentes hæretici, CHRISTO moribus & doctrina aduersantur. Quare optime de Vuitac×ero, inter alias eius notas Antichristi, eruditissimus Anglus Catholicus Theologus Thomas Strapletonus hæc scripsit: Vuitac×erus doctor est (vt se scribit) Theologus, & in Academia Cantabrigensi professor regius. Sed tales doctores & professores regios habét sane academiæ hæreticæ, vt dignum sit patello operculum. Disputatorem profecto tam absurdum, ineptũ, ac stupidum, quã iste Vuitac×erus est, vix in infimo sacræ scientiæ gradu, Scholæ & Academiæ Catholicæ æquanimiter ferent. Hæc ille, qui tot libros pro Fide Catholica cõtra Anglos hæreticos ac similes orbis pestes doctissime conscripsit.

Straplctonus in præfa. lib. de auĉto. Eccl. cir. Scrip. ap.

Ceterum cum Anglocaluinita & ceteri sui pares sint Antichristi, non debemus ipsis credere, etiamsi miracula facerent: quin nec vera essent miracula, nec pro veritate facta; profecto nullum ex recentioribus hæreticis, neq; ex antiquis hucusque, vel equum claudum sanare potuisse cum Erasmo scimus. Omnis.n. qui soluit IESVM, dilectissimus Christo Discipulus asserit, est Antichristus;

Vuitacker' est Antichrist'.

Retorcdamus in Diat.

christus; sed nemo magis soluit IESVM, quam Vuitackerus, ac reliqui Caluinitæ: duæ enim sũt Ecclesię Christi, inaspectabilis altera & aspectabilis altera, in vtraq; Christus sua pręsentia verę certeq; adest atque se exhibet, sicut ipse testatur, tradidêre Apostoli, Euãgelistę, Patres, Martyres, Sancti, sacri Doctores & vniuersa DEI Ecclesia, & fides oĩum seculorum, Vuitackerus ex professo IESVM vera sua pręsẽtia in visibili Ecclesia pręsentẽ esse, sicut est in Ecclesia Cœli inuisibili, negat, Ergo planissime soluit ac separat verum IESVM corporea, & carnea vera, certa & gloriosa sua præsentia ab Ecclesia, quæ sub aspectum cadit, & itaque Antichristus vere ac pro certo est.

Hæreticus.

Deum vero nonne se palam Pontifex esse iactat? Legitę Gratian. distinct. 21. Nomen agnoscit, aßumit, suum eße statuit, in eo acquiescit. Illum sui vt Deum colunt, eoque nomine salutant, illius auctoritatem & mandatum pluris omnino, quam Diuinum faciunt. Nihil iam fingo, rem notam omnibus, claramque dico. Pontifex Romanus se Deum terrenum eße prædicat, & quidquid Deus potest, posse gloriatur, si vnum peccatum excipias. Os impudens & blasphemum.

Catholicus. Vuitackeri mendaciũ refellitur.

Hactenus os impudens, & blasphemum mentitur. Numquam se Pontifex Deum essę iactauit, qui se Deum terrenum appellaret, nõ plus diceret, quam se hominem esse, qui Diuina pollet liberalitate, quippe qui Diuina est præditus aucto-

auctoritate, quam ei DEVS omnipotens indubitate tradit. Hæc pauca, contra tam impudentem calumniam, impium mendacium, frequens cōuitium, sacrilegam imposturam, & pessimam blasphemiam Vuitackeri, imo Lutheri, Caluini, Musculi & aliarum bestiarum, ac furiarum Auerni, cyclopumque inferorum, dicta sufficiant.

Seruum seruorum DEI nonne se palam Pontifex esse asserit? Legite Gratian. dist. 21. Nomen agnoscit, assumit, suum esse statuit, in eo acquiescit. Illum sui, vt Caput Ecclesiæ DEI visibilis rite colunt, quem DEI nomine minime salutant, illius auctoritatem & mandatum pluris omnino, quam Diuinum non faciunt. Nihil iam fingo, rem notam oībus claramq; dico. Pontifex Romanus se Seruum seruorum DEI esse prædicat, & quidquid DEVS potest & ei tribuit, tamquam DEI Vicarius posse in DOMINO gloriatur, si sensum Catholicū admittas. Os hæreticorum impudens & blasphemum.

Hæreticus. *Hactenus præclare conueniunt omnia, sed nondum Apostolicam percurrimus descriptionem. Si hæc non sufficiunt, attendite quæ sequuntur. Nunc vero, inquit Paulus, quod obstet, nostis, vt is suo tēpore retegatur. Quid huius Antichristi aduentum retardat ac remoretur, narrat, τὸ κατέχον Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, de Romano Imperio intelligunt, quo stante & florente non potuit Antichristus ad illam potentiam*

tiam

tiam & magnitudinem peruenire; Quare vt locus fieret Antichristo, cedere Romanũ Imperatorem oportebat.

Impudẽtissime mortalium putasne tibi reuelatum esse Antichristum, qui extra Ecclesiam aberras; &, vt norunt omnes, nihil extra Ecclesiã reuelauit DEVS, qui Sanctis solet retegere quę latent, quos tu moribus non sectaris, fide & doctrina aduersaris? In hoc tot annis præterlapsis delirauit & Lutherus atque quidam alij, nullus tamen Christianus adhuc nouit venisse Antichristum, qui futurus est, qui Iudęus erit, in Hierosolymitano Templo sedebit, quique suam tribus annis ac medio absoluet tyrãnidem, vt Scriptura & Sancti nobis tradiderunt. At vero tu non stans promissis pro more hæretico destitutus ab omnibus, confugis ad Catholicos, Sanctosque Doctores, qui tibi non porrigunt herbam, sed te iaculo Veritatis iugulant. Siquidem si Papa est Antichristus, cum tot Papæ fuêre antequam eidem (vt sic tecum loquar & donem quod vis) cederet Romanus Imperator, necessario consequitur ex his Doctoribus & D. PAVLO Antichristum antea venisse, quã Imperator Papæ cederet, vel Antichristum nondum venisse, quia adhuc viget Imperium, vel Papam esse ac fuisse semper, vt re vera fuit, CHRISTI Vicarium. Adeo vt D. HIERONYMVS optime asserat scire nedum tantum credere Romæ erectam,

Catholicus. Antichristus nondum venit.

D. Hieronym. ep. ad P. Dama.

Qui Papę nō est, Antichristi est.

ctam, exaltatam, & glorificatam esse Ecclesiam CHRISTI. Et sicut qui CHRISTI non est, Antichristi est, sic qui Papæ non est, Antichristi esse pulcherrime asseuerat. Hæc quidē ille Maximus Ecclesiæ Doctor, cui Diui IRENÆVS, IOANNES Chrysostomus suffragantur & ceteri Orthodoxi, quos Vuitackerus pro se citat, contra eum tamen pugnant acerrime.

Vuitackerus est in labyrintho.

Ad hæc si cedente Romano Imperatore Romano Pontifici, veniet & retegetur Antichristus, cū ante D. HIERONYMVM & Chrysostomum, cessit Pontifici Imperator, consequitur, vt tunc Romæ venerit Antichristus, & fuerit Papa, ac Diui HIERONYMVS & IOANNES Chrysostomus præclare Caput Ecclesiæ & Vicarium IESV Summum Pontificem Romæ agnouerunt & prædicarunt, vnde vel imperium Romanum quamuis translatum fuerit nondum cessasse crediderunt, vel cedente Imperio Romano Pontifici Antichristum tunc venturum minime crediderunt ac tradiderunt. Cum itaque Romanus Imperator extet adhuc, vocetur, sitque Imperator Romanorum, liquet quod nondum ergo venit Antichristus.

Præterea si non potuit Antichristus venire propter potentiam Romanorum Imperatorum, nec olim, nec hodie poterit venire propter potētiam, quæ etsi tanta non sit, non est tamen adeo

exigua,

Digitized by Google

exigua, quin poterit ei reſiſtere: Imperator enim non deſtituitur à reliqui Chriſtianiſmi viribus, nec à Romani Pontificis potentia. Non igitur adhuc venit, ſed veniet Antichriſtus hæreticorum Deus.

Quare vel ex hoc concluditur facile, quod antequam veniat Antichriſtus Chriſtianitatis vires erunt exiguæ, id vero fieri cœptum fuit iam olim à ſeductoribus Turcarum, à Græcis, à Germanis, à Gallis, ab Anglis qui apoſtatarunt à Fide Romanæ IESV Eccleſiæ, ſimiliter ab Imperium obedientia. Papa quoque vires potentię têporales paulatim amittit. Nam S. CONSTANTINVS Imperator ei ceſſit Italiam, Iuſtinianus Imperator in Aut. col. 2. tit. 4. non in Occidentis tantum, ſed etiam in Orientis regionem ius habere affirmauit, Herebrechtus Rex Longobardorum cõceſsit loca Alpium Cottiarum, eidem patrimonium Longobardorum, Calabritanorum & Siculorum fuit, ipſe ius habuit in partem Sardiniæ, Africæ, Iſtriæ, Dalmatiæ, in multam Galliæ regionem, & in totã Hiſpaniam, ſeu Hiſpanię regnũ ſcilicet totum, vt loquitur S. GREGORIVS Papa, ac tributum ab vniuerſo regno Angliæ iam olim habuit. Vnde tunc venturus Antichriſtus cernitur, cum Põtificis Summi valde exiguæ vires erunt, quæ Tyrannis obſiſtere non poterunt, & ferme omnes Chriſtiani ab eo-

Dominiũ temporale Romanæ Eccleſię maius olim, quã tunc.

dem defecerint, veluti iam ex bona parte factum esse rerum exitus illustrissime demonstrat, id & luculentissime oculis videmus, & manu palpamus. Quod & prædixit Apostolus, & cum eodem Angelus ille terrenus, numquam satis dilaudatus, Diuinissimus D. THOMAS Aquinas perspicue ac dilucide declarauit. Nondum ergo venit Christus hæreticorũ Antichristus scilicet.

Aquinas. 2. Thes. 2. & al.

Hæreticus.

Hoc cuiusmodi sit, facile intelligemus, si quod monuit in Apocal. Ioannes, vt mox audiemus, Romam Caput & μητρόπολιν Antichristiani regni esse oportere memoria teneamus. Cum ergo Romæ regnare deberet Antichristus, necessarium fuit, vt vacuam ei Romam Imperator relinqueret: non enim ab vtroque occupari potuit. Iam rerum exitus huius vaticinij illustrissimus & locupletissimus interpres extitit. Primum Constannus Imperium ex Italia, Romaque in Græciam Bizantium transtulit: tum paulatim Imperatores Græci ius omne in Italia suum amiserunt, vt tandem Roma, Imperij Romani sedes & pars magna Italiæ in Pontificis potestatem venerit. Quod quidam Euangelij toto orbe promulgationem ab Apostolo significari existimant, non repugno quominus vtrumq; intelligatur, & imperium mouendum esse Roma, & Euangelium vbique terrarum annunciandum. Temporum autem ratio in vtroque constat.

Catholicus.

Prolixius quam oportebat, nugatus es, ita vt tædio me afficias plus satis, potissimum, quando

ex tuis

ex tuis his nugis nihil ſucci, ſed tantum fuci exprimitur, vt ſtomachum moueas quantumuis robuſtum, atque nauſam facias pijs ſpiritibus, imo tuo ipſo ictu concidis. Si porro duo hæc ſunt argumenta quod uenerit Antichriſtus, Imperiũ Romanum mouendũ, & toto orbe Euangelium annunciandum, cum Imperium nondum motum fuerit, nec Euangelium ubique locorũ promulgatum, nondum ueniſſe Antichriſtum compertiſſimũ eſt. Nam Imperator coronatur à Papa, & D. PETRI Romæ ſedem habet, eſtq; Romanorum Imperator, cum Pontifex Romanus D. IOANNIS in Laterano Epiſcopus ſit omnium Epiſcoporum apex.

Poſt prędicatum vbique Euangelium veniet Antichriſt⁹.

Deinde per Eccleſiam Romanam Catholicã nuper prędicatum eſt, & adhuc prædicatur Euangelium in nouo Orbe, apud Indos, & Americos quibus numquam annunciatum fuerat Euangelium. Nondum igitur aduenit rex hæreticorum ſupremus Antichriſtus. IESVS inſuper prædixit neceſſario fore Euangelium ſuum ubique terrarum in orbe annunciandum ante Antichriſti aduentum, ut etiam Vuitackerus & alij concedunt; ſed Papa ſuper quem CHRISTVS ædificauit Eccleſiam, Regnumque ſuum dilatauit, ut plene ſunt Hiſtoriæ, iuſſit, curauit, effecit annunciari Euãgelium per totum fere orbem, ac facit uſque modo in nouo orbe, quod ingrati & infames

Euangelium prædicatũ à Papa, eſt CHRISTI toto orbe prędicandũ.

apoſtatæ

apostatæ Germani & Angli ceteri, quibus per Papam annunciatum fuit Euangelium, negare non poterunt. Igitur istud Euangelium Papę est Euangelium CHRISTI, qui hoc de suo Regni Euangelio D. Matt. 24. prædixit. Ergo Regnum Papæ, qui ipsum Euangelium CHRISTI prædicat, & habet, quod CHRISTVS promulgandum prædixit, propterea est Regnũ CHRISTI, non autem Antichristi, sicut est Angliæ regnum, cui, ut patet, hæc non competunt, quæ CHRISTI item Papæ Regno congruunt. Quo uno argumẽto labens tota machina ab hæreticis de Antichristo conficta, quam ipsis Satan machinari suggessit, funditus subruitur.

Hæreticus. *Quod autem nunc illud mysteriũ iniquitatis peragi Apostolus scribit, fundamenta Pontificiæ ἀποςασίας suo tempore iacta esse indicant.*

Catholicus. Quod autem nunc illud mysterium iniquitatis peragi Apostolus scribit, fundamenta hæreticæ ἀποςασίας suo tempore iacta esse indicant.

Per mysterium iniquitatis Neronis persecutionem intellexit D. IOANNES Chrysostomus & D. AMBROSIVS: Hęreticos autẽ D. THEODORETVS & Sedulius, & D. AVGVSTINVS. Id, quod negare non potest, nisi qui uerba Paulina negare vult, quando apostatæ tunc etiam fuerunt uiuẽte Apostolo. Istud mysterium iniquitatis per omnia operantur Angli ac similes,

Chrysost. in 2. ad Thess. 2. D. Ambros. lib. 20. de C. D. D. Theodoretus. Sedulius. D. Augustinus.

les, ubi CHRISTVM exilio relegarunt, Sacerdotium amiserunt, sacrosanctum Missæ Sacrificium abrogarunt, omne ius perdiderũt, Veritati abrenunciarunt, Hæresi deuouerunt, Diabolo sese supposuerunt, à Fide & à Vicario DEI apostatarunt, CHRISTI Ecclesiam modis omnibus persecuti sunt, ac persequuntur.

Atque hunc Antichristum ad Christi ipsius aduentum duraturum esse diserte testatur, quando ait, Dominus conficiet illum Spiritu oris sui, & illustri aduentu suo abolebit. Hæreticus.

Atque hunc Antichristi conuenticulum ad CHRISTI aduentum in hereticis duraturum esse diserte testatur, quãdo ait, oportet hereses esse. DOMINVS conficiet illud spiritu oris sui, & illustri aduentu suo abolebit. Catholicus.

Disputator profanus & insanus, qui Papam esse Antichristum probare incassum nititur ex eo quod IESVS interficiet Antichristum, perinde ac si Antichristus propterea ut interficiatur à CHRISTO, non possit furere tribus tantum annis & medio ante finem mundi, ut Scriptura testatur, & Sãcti Patres, quamquam credamus Vicarium Saluatoris duraturum cum Ecclesia DEI Romana usque ad consummationem seculi, iuxta DEI uerbũ, & Ecclesiæ auctoritatem, nullum tamen ex Vicarijs suis interficiet, si ipsi CHRISTO credatur, quem impius Vuitackerus quasi Antichristo tãtum tribus annis sex mensibus potestas facta erit.

occiso-

Digitized by Google

occisorem Vicarij sui traducit & blasphemat. Proinde optime optimus atque sapientissimus Pater D. PROSPER in hãc rem inquit: Apocalypsis Ioannis dicit: Post tres & dimidium diem spiritus uitæ à DEO intrauit in illos, (Enoch & Heliam) & steterunt super pedes suos. De his arbitror Apostolum dixisse Paulum. Et mortui in Christo resurgent. Tres igitur & medius dies, tribus annis & sex mensibus respondent, quibus potestas erit Antichristo, eisque suppletis coram oculis inimicorum Helias & Enoch ascendentes in Cœlum, ibunt in occursum Christo uero Regi & Iudici uenienti. Qui Antichristum omnesque eius interficiet spiritu oris sui, ut regnet in domo Iacob ipse, de quo dictum est, Regni eius non erit finis.

D. Prosper lib. de prom. & prædi. cap. 16.

Hæreticus.

Confici nonnihil Antichristus minuique potest verbo Christi, tolli omnino ante Christi aduentum nõ potest.

Catholicus.

Confici prorsus Antichristi omnis præcursor, minuique potest uerbo CHRISTI, tolli omnino ante Christi aduentum non potest.

Hæreticus.

Quemadmodum vero regnum adepturus sit, & tyrannidem Antichristus, exponit Paulus in eo, quod ait, aduentum eius fore ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, & signis & prodigijs mendacibus, & cum omni fraude iniustitiæ in ijs, qui pereunt. Nihil dici de Regno Pontificio aptius potuit. Nisi enim Pontifex vim quamdam efficacem, & validam, & plane Satanicam habuisset,

buisset, fraude, fallacijs, præstigijs, miraculis falsis, numquam proficere tantum profecto potuisset. Paulum de Antichristo vaticinantem accepimus: si verus vates Paulus fuit, quem esse verissimum non dubitamus, Antichristus sit Romanus Pontifex est necesse. Capita rerum magnam rem consectamur; neque enim licet excurrere longius.

Citra dubium tam impudenter & nequiter illicitum fuit mentiri, quemadmodum os tuũ infernale iam mendacijs & blasphemijs assuetum perpetrat. Quis te tam aperte mentiri, & in DEVM ac in eius Ecclesiam, ac in Diuos blasphemare iussit, nisi quem sequeris Diabolum à quo vehemẽtissime exagitaris, summopere possideris, & furentissime diuexaris. Ecclesiæ plane datũ est miracula vera à falsis internosci, & miraculis falsis numquam vera vicerunt miracula; Primus enim DEI Pontifex, quem tu in se & in alijs Antichristũ esse blasphemas D. PETRVS miracula falsa Simonis magi ducis hæreticorum omnium nouit, & veris diluit. Deinde eius Successores Sanctissimos per multa secula salutifero Martyrio, sanctitate eximia, singulari prudentia, fide præstanti, caritate præclara, egregia pietate, mira eruditione, laudabili grauitate, summa sapientia, optimis moribus, irreprehensibilibus ritibus, Cœlestibus donis, & Christianissimis miraculis mirum in modum claruerunt, vt cla-

Catholicus.

Papæ vera miracula fecerunt.

rissimum & maxime indubitatum fuit quocumque seculo.

Deinde quando Pontifices DEI quædam fecerunt miracula, quibus e corporibus & locis eiecerunt dæmonia, quæ si fuissent falsa, præstigijsq; plena, id efficere non potuissent, quia dæmon dæmonem non repellit CHRISTO teste.

Præterea Episcopi illi Oecumenici miracula ad probandum infidelibus Euangelium, Fideiq; vera Dogmata DEO inuocato perpetrarunt; ergo eadẽ falsa esse nullatenus potuerũt, quemadmodum nec illa, quę ceteri propterea Sancti & Apostoli perfecerunt.

Nemo insuper Papam Vicarium CHRISTI esse sine verbo DEI & Ecclesiæ doctrina propter miracula credidit, ut in Sanctorum scriptis thesauris Ecclesiæ liquet, nec aliquid illis propterea cõtulit, alioqui cessantibus miraculis nemo amplius quidquam ipsis credidisse videretur, vel saltem parum tribuisset eorum auctoritati solis miraculis probatæ.

Accedat, quod si Papa, propter facta prodigia & mendacia signa, vt blasphemat hæreticus, est Antichristus, quem sic prædixit venturum Apostolus, igitur cum iam tot seculorum curricula transiêre, quibus Papæ miracula non fecerunt, non erit postmodum Papa Antichristus prædictus ab Apostolo miraculis falsis operans.

Adde,

Adde, quod Pontifices qui vera miracula fecerunt, eaq; sanctitate polluerũt, vt nisi blasphemé dici posset, illos fraude ac iniustitia ad Pontificatum Romanum, quod à CHRISTO obtinuerunt, & per eum à liberalitate & iustitia Christiana Christianissimorum Regum ac Cæsarum & similium euectos, quippe potiusquam, videlicet nequaquam fraudem, vel iniustitiam modo, sed nec suspicionem fraudis ac iniustitiæ perpetrare minutatim trucidari delegissent. Ceterum de maledicentijs hæreticorum minus quam de meretricijs, vel de infernalibus, seu de Satanicis curãdum esse cordatis satis liquidum est, quamquam pro veritate & merito cogar hæreticũ hominem iuste ac digne obiurgare, vellicare, iurgijsque multis carpere, & onerare.

Ad Apocalypsim progrediamur, in qua certissima sunt & minime obscura de nostro Antichristo oracula: ea cuiusmodi sint degustemus. In cap. 13. postquam bestiæ cuiusdam Ioannes meminisset, quæ capita septem haberet, cuius vnum caput plaga mortifera sauciatum, sed post sanatum fuit, quæ bestia nonnisi de Imperio Romano intelligi potest: tum sequitur vers. 11. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo, similia agni, & loquebatur sicut draco. Hanc bestiam esse Antichristum ne ipsi quidem Pontificij dubitant: ergo Pontificem esse Romanum euincam, qui se agni similem esse profitetur, tamen si illum loquẽtem at- Hæreticus.

tendimus, Draconem Satanamque agnoscemus. Quis enim vnquam immaniores in Deum blaspemias, quam hæc bellua euomuit? percurrite quæ sequuntur ad finem capitis reliqua: omnia diuinitus conuenire sentietis.

Catholicus.

Omnia confundis hæretice. Sicut.n.bestiam illam matrem tuam quidam referunt ad Antichristum, cuius tu es præcursor. Ita alij ad Hæresim, nonnulli ad peccatum, plures ad idololatriam, multi ad Lutherum referunt. Sed siste pedem blaspheme hæretice, & duo audi, quæ ibidẽ cap. 13. Apoc. vers. 5. & 11. dicuntur. Horum alterum est: Data est bestiæ potestas menses facere quadraginta duos. Ecce 42. duo mẽses facta erit potestas Antichristo, vt supra ex Scriptura & Euangelio ostẽdimus. Alterum: Fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de Cœlo descendere in terra in conspectu hominum. Ecce duo hæc profecto Pontificũ Romanorũ nemini cõgruũt, nec congruent vmquã. Igitur ex cap. 13. Apocal. Papa esse Antichristus nõ probatur, sed negatur certissime. Apage itaque hæretice sis bestia.

Duo ex Apocalypsi Antichristo contingent, quæ Papæ nõ contingent.

Hæreticus.

Quis imaginem bestiæ vulneratæ animauit, vitæq; restituit, nisi Pontifex, qui vetus illud Romanum idololatricum imperium in suo regno ad viuum expressit ac repræsentauit. Quidquid enim olim crudelitatis, auaritiæ, libidinis, luxus, idololatriæ priscis Imperatoribus Romanis vsitatum fuit, id totum orbi Pontifices Romani retulerunt.

Hos

Digitized by Google

Has onager syluester, harpyaque Britanniæ monstrosissima, tam execrandas, sacrilegas, & & plusquam meretricias, Ethnicas, Turcicas & Diabolicas maledicentias effutiuit, quibus quidem Clauigerum Cœli, Presulem Ecclesię, Vicarium DOMINI incessit. Sed hæreticissime, flagitiosissime & improsisme Antichristi leno, ac Satanæ lena, sicut non poteris concludere synagogam Iudæorum propter quorumdam improbos mores non fuisse populum DEI ante CHRISTI aduentum, neque Collegium Apostolicum, propter Iudæ proditoris mores, & Apostolicam Ecclesiam propter impios aliquorum mores ac ritus, seu vitia, vel peccata, ita ob hæc non poteris vmquam concludere, Ecclesiam Romanam Antichristi Ecclesiam esse. Atque si vnus Pontifex Romanus malus erit, dices Antichristum, si bonus Antichristum negabis, aut negare cogeris, si ex his ineptijs hostilis calumnię, Ethnicæ criminationis, hæreticæ fallaciæ & impiæ contumeliæ, hunc esse Antichristum vis probare.

Catholicus.

Quorumdam improbitas, CHRISTI Ecclesiã nõ abolet.

Quod autem cunctos mortales cogat, qui viuere omnino, ac res suas & negotia tractare velint, ipsius characterem in frontibus, manuque dextra suscipere, manifestum est. Nisi enim illi nomen dederint, eumque & verbis sibi colendum & omnibus officijs iudicarint, salui esse non possunt. Reges, Cæsares, Episcopi, diuites, pauperes, plebeij, docti, indocti omnes illi inseruire, eius

Hæreticus.

Digitized by Google

eius pedem osculari, hanc bestiam adorare debent.

Catholicus. Quod autem rex Anglicanus cunctos subditos cogat, qui viuere omnino ac res suas & negotia tractare velint, ipsius characterem in frontibus, manuque dextra suscipere, manifestum est. Nisi enim nomen capitis Ecclesiæ Anglicanæ dederint, eumque & verbis sibi colendum, & omnibus officijs iudicarint, salui esse non possunt. Cancellarios, duces, senatores, eques, proceres, dynastæ, pseudoepiscopi seu lupi, diuites, pauperes, plebeij, docti, indocti omnes illi inseruire, eius hæreses osculari, & hanc bestiam adorare debent.

Angliæ regnū abominatione Antichristi abundat. Quis dicito mihi Anglorum pseudopropheta adeo imperitus historiarum probatur, (vt alijs similibus bestijs omissis) bestiam illam Henricum illum intelligo Octauum silentio præterfugiat, & malitia nequissima sileat: ille enim omnes subditos, ac etiam non subditos, duces, satrapas, Episcopos, Cardinales & ceteros Ecclesiasticos, & laicos tyrannico iuramento seipsum regem Caputq; Ecclesiæ Anglicanæ fateri coegit, & obtemperarunt ei, qui non fuerunt scripti in libro vitæ; alij vero qui nō consenserunt iniquitati trucidari iussit; ijdem Martyrium frugi obtinuerunt, ex quibus fuerunt duo luminaria Anglorum magna B. IOANNES Fischerius Episcopus ac S.R.E.C. B. THOMAS Morus summus

mus Cancellarius in eodẽ regno, Dux Nothumbriæ & complures veri CHRISTI Fideles. Vnde ipsa Apocalypsis cap. 13. addit: Datum est bestiæ bellum facere cum Sanctis. Sed talis bestia fuit post Lutherum & Caluinum rex ille Anglię, spurcissimus & scelestissimus, vt numquam fera immanior in orbe hucusque reperta fuerit. Quæ ceu Antichristus non coli solum voluit, obediri, credi, verum etiam, vt Paulus Tertius loquitur sapiẽtissime bestia ipse effectus bestias alias honorari voluit, suos fratres ac suas sorores: eiectis enim ex sacris Monasterijs religiosis hominibus DEO consecratis, ac die nocteque pie ac deuote seruientibus, bestias in eisdem locis augustis reponi præcepit. Nec huic absimilis fuit nequissima, furentissima, ferissima & nocentissima bellua Elisabetha regina, per cuius horribilissimam tyrannidem, vitamque pessimam, Regnum Angliæ olim Christianum pijs, iustis, sanctis, Cœlitibus, Angelis, Deoque repletum, bestijs, lupis, harpyjs, onagris, catoblepis, buffonibus, serpentibus, basiliscis, cyclopibus, & Diabolis, imo hęreticis omnium hominũ pessimorum, ferarum, furiarum, & Diabolorum deterrimis refertur.

Papa in excom.

Quod vero in pia oscula pedum Summi Pontificis Ecclesiæ sannio hæreticus impie debacchatur, plane perperã facit: Nam, vt doctissimus Antonius Mazzaronus probat lib. de trib. coro.

Mazzaronus.

Digitized by Google

Osculum pedum P.M. perperā improbatur.

P. M. Scripturis multis habetur, quod Reges Prophetis in riuerentię ac honoris signum dederūnt eiusmodi oscula pedum; quam ob rem hoc idem non male probauerūt etiam Gentiles, post Iudæos, Sanctique Patres scriptis & factis comprobant; Magdalena CHRISTI osculata est pedes. Quare anno Domini 1219. ipse Rex Anglię tum Christianus his verbis Pontifici Maximo salutem dicit: Beatissimo Patri & Domino Honorio Dei gratia Summo Pontifici commendationem cum osculo pedum. Carolus Siciliæ Rex anno 1266. scripsit: Sanctissimo in CHRISTO Patri, Domino Clementi Diuina prouidētia &c. cum omni riuerētia & honore beatorum pedum oscula mittit. Idem prorsus scripsit anno 1324. Rex Poloniæ Ioanni Pontif. Max. Quinimo S. CONSTANTINVS Imperator D. SYLVESTRI Pedes osculatus fuit, itidem Iustinianus Imperator Papæ Constantino: Pipinus Stephano Pontifici Oecumenico & alij reuerentissima dederunt oscula alijs DEI Vicarijs, ut uidere est ap. Galat. l. 4. c. 27. Eugubin. lib. 2. nu. 66. Paul. Æmil. l. 2. Fran. histor. B. ANSELMVM Lucensem ep. li. 2. collectanea. & complures.

Vuitacker' omnis Christianismi infensus.

Sed hæreticus prę sua scilicet modestia Euangelica fortasse oscula quæ lasciuiæ uel etiam honoris ergô exhibentur, probabit, non autē oscula Pōtificis Maximi: quippe qui in eum liuore corripitur,

ripitur, furore vrgetur, insania compellitur, odio cogitur latrare, quasi insanus furere, tamquam ebrius insanire, sicut infensus obtrectare, veluti impius inuehere, vtiq; sacrilegus blasphemare. Nec videt momus Lutheri, nothusque Caluini, vel potius non curat scurra Satanę, sannioq; dœmoniorum, quod dum dicit, imo sacrilege blasphemat, nos bestiæ pedes osculari, omnes cum omnibus Sanctis Pontificibus temere ac impie traducit Reges Angliæ Christianos, & Sanctos, omnes Cæsares, omnes Duces ac Principes, omnes Præsules religiosos, pios ac sanctos & omnē Christianitatem profane sugillat, omnem Christianismum, omnes Sanctos, & omnem Ecclesiam quæ est ī Cœlo & in Terra improbe irridet. Quod vtique nō faceret, si non Iudaismi Ethnicismi ac Turcismi plurimū retineret, furijs immanibus vehementer agitaretur, atque notis næuisque multis ac magnis venturi Antichristi maxime insigniretur.

Numerum vero nominis, qui est sexcenta sexaginta sex, Irenæus Pater antiquissimus, Apostolorum ætati proximus explicauit. Si quid traditionibus Apostolicis tribuendum est, cur non hanc Apostolicam fuiße traditionem existimemus? Latinus certe Pontifex est genere, fide, publica Liturgia, & suos omnes Latinos eße vult. Qui non est Latinus, Græcum, Schismaticum, hereticum eße vociferatur. Si probabile visum est Irenæo, Hæreticus.

Q *hoc*

hoc Antichristo nomen fore, λατεῖνος nobis quidem multo magis hoc ipsum credibile videri debet, qui hanc Antichristianam Latinatem cognitam atque exploratam habemus.

Catholicus.

Numerũ vero nominis, qui est 666. Irenæus Pater antiquissimus, Apostolorũ ętati proximus explicauit, cũ quid traditionibus Apostolorum tribuendum sit, cur non & alias Apostolicas fuisse traditiones existimemus? Hæreticus certe Henricus rex Angliæ genere, fide, publica persuasione, & suos omnes hæreticos esse vult. Qui non est hæreticus, Græcum, Schismaticũ, Ethnicum esse vociferatur. Si probabile visum est Irenæo, hoc Antichristi nomen fore, αἱρετικος, nobis quidem multo magis hoc ipsum credibile videri debet, qui hanc Antichristi hæresim cognitam atque exploratam habemus.

Duplex Antichristi nomẽ.

Peccat portentum Britannicum in ęquiuocatione nominis ac rei seu professionis. In primis si Latinus nominandus est Antichristus, cum is sit futurus, vt cũ Orthodoxis sentit D. IRENÆVS ex tribu Dan ratione Iudæus, si Scripturæ sacræ fidem habere velimus, & Traditionibus Apostolorum & Patrum Sanctissimorum & eruditissimorum credere, nihil est cur obtrudat nobis nomen Antichristi Latinus.

D. Irenęus lib. 5. adu. hęr.

Dehinc si Papa est Antichristus, vt impius hæreticus blasphemat, eique nomen est Latinus, ob id,

ob id, qđ ſit genere, Fide, ac Liturgia, Latinus, conſequitur, vt omnis Papa fuerit ac futurus ſit Latinus, attamen D. PETRVS fuit natione Iudęus, Diui EVARISTVS, TELESEPHORVS, HYGINVS, & alij, Græci.

Horum inſuper tempore ac poſt multa ſecula fuit eadem fides Latina & Græca. Inde Liturgia vſque ad Adriani Cæſaris tempora lingua Hebraica celebrata fuit.

Nomen præterea Antichriſti ex officio ſumitur, quia contra CHRISTVM pugnabit, nomen vero Latini nomen eſt proprium, quod nemini hucusque Pontificum Romanum impoſitũ eſt.

Vltra, nomen Antichriſti Latinus, poteſt expendi, quod propterea huiuſmodi inditum ſit, quoniam Antichriſtus, qui futurus eſt Iudæus natione, ex profeſſo perſequetur Latinos in quibus pene ſolis CHRISTI Fides viget. Ideoque Antichriſtus dicitur, quia CHRISTO ſe ſe opponet, Latinus vero nominatur, quia Romanam Latinam CHRISTI Eccleſiam, Romanum, Latinumque eius Epiſcopum Oecumenicum pro viribus perſequetur, quemadmodum ipſum hactenus in ſuis emiſſarijs hæreticis ſcilicet feciſſe palam eſt.

Sed cur hæreticus omiſit eiuſdẽ D. IRENÆI alterũ nomen hoc eſt, Ευαν, ſeu Ευαιθας, cuius elementa ſigillatim ſumpta, numerum ab eodem Nomina Antichriſti xvi.

quæsitum faciunt, non facile iudicabo, nisi quia illud ad Præsulē Ecclesiæ CHRISTI retorqueri non posse persentit. Deinde aliud nomē idē ac ēt cū eo Arethas Cappadox Episcopus refert, nēpe Τειταν. Nā τ,300: ε,5: ι,10: τ,300: α,1: ν,50: reddūt nu. *666.* Itē Diui HIPPOLYTVS ac deinceps PRIMASIVS in Apocalyp. lib. 4. Ἀρνοῦμαι. Si quidem α,1: ρ,90: ν,50: ο,70: υ,400: μ,40: α,1: ι,10: quorum summa est *666.* Rursum D. PRIMASIVS ex Ticonio, ac D. ANSELMVS Αντέμος, α,1: ν,50: τ, 300: ε, 5: μ,40: ο,70: σ,200: efficiunt *666.* Λάμπετισ: λ, enim 30: α, 1: μ,40: π, 80: ε,5: τ, 300: ι, 10: σ,200: sumitur numerus *666* ex Aretha, qui & hoc nomen ponit, Ονικητησ. etenim enumeratur ο,70: ν,50: ι,10, κ,20: η,7: τ,300: η,7: σ,200. *666* componūt numerum. Idem iterum Κακὸς ὁδηγὸς: quandoquidem κ, 20: α, 1: κ,20: ο,70: σ,200: ο,70: δ,4: η 7: γ,3: ο,70: σ,200: summa *666.* Rursus eodem auctore com. in Apocal. 13. Αληθησ βλησβερος. α, equidem, 1: λ,30: η,7: θ,8: η,7: σ,200: β,2: λ,30: α,1: β,2. ε,5. ρ,90: ο,70. σ,200: componunt numerum *666.* Itidem Παλαιβάς κανος. Namque π,80: α,1: λ, 30: α,1: ι,10: β, 2: α, 1: σ, 200: κ,20. α,1: ν, 50: ο, 70: σ,200. redduntur numeri *666.* Pariter computatur illo nomine numerus *666.* Αμνος αδικος. Certe, α,1: μ,40: ν,50: ο,70: σ,200: α,1: δ,4: ι,10: κ,20: ο,70: σ,200. Deinde à D. RVPERTO Γενσηρικὸς enumeratur *666.* sic videlicet: γ,3: ε,5: ν,50: τ,300: ε,5: μ,40: ο,70: σ,200. Insuper B. ALBERTVS Magnus Apoc. 13. ponit nomen Antichristi, hoc est. Dic lux. Nam apud Latinos D, significat quingenta, I, vnum, C, centum, L, quinquaginta, V, quinqué, X, decem, suntque summatim *666*, seu DCLXVI. Nomen præterea hunc numerum continens Euthymius, Zonaras & Cedrenus Sectario Turcarū ascribunt. Nam Maometis profert numerum *666.* hoc pacto: μ,40 α,1: ο,70: μ,40:

Arethas.

Abbas.

Luther', Caluin', ac Beza nisi Antichristus

Digitized by Google

μ,40: ι,5: τ,300: ι,10: σ,200. Dehinc Ioannis Caluini & Theodori Bezæ nomine hæc inter ea nomina, quibus Antichriſti nomen per numerum 666. ſumitur, vti perhibetur, cōijciuntur. Certe enim hi ex numero plurali Antichriſti fuiſſe probantur, & per numerum numeratum 666. & per notas & nęuos Antichriſti, quibus īſignes fuere, niſi Antichriſtus ſingularis ille homo vēturus, eo modo quo Orthodoxi vēturū expectāt, à Chriſti Eccleſia expectaretur, ipſi ꝓ Antichriſto recte ſuſciperentur, & certe haberentur. Pariter Martin Lauter Sectarius Lutheranorū ſic cōponitur: m,30: a, 1: r,80. t,100: i,9: n,40: l,20: a, 1: u,200: t, 100: e,5: r,80. hoc eſt nu. 666. quemadmodum Ioannes Ofhuſius, Lindanus, Genebrardus, Henterius, Clictouêus & Feuardentius ſumunt. Quorum vltimus ex duodecim coniecturis Mahometum Antichriſtum fuiſſe probare nititur, negat hoc Riberius: certū enim eſt apud Orthodoxos Catholicos nondum veniſſe Antichriſtum, ſed adhuc eſſe venturum, & recturum. Habemus enim ex Scriptura & ex Eccleſia, cui SPIRITVS SANCTVS per Sanctos Patres, ſacroſq; Doctores reuelauit, qđ Antichriſtus ex tribu Dan Iudæus futurus, erit certus quidam homo, venturus in fine mundi, Hieroſolymis in Templo Salomonis ſeſſurus, miracula mendacia facturus, Monarchā totius orbis euaſurus, Chriſtianos toto orbe perſecuturus, Enoch & Elias ſe oppoſituri erunt, quodq; tandem interficiendus ſit ſpiritu oris DOMINI, quæ cum certiſsime credamus, & rectiſſime doceamus,

venturus eſſet, pro Antichriſto ſuſcipi potuerunt.

Mahomet non eſt Antichriſtus.

Digitized by Google

ceamus, nondum completa hæc esse nondum Antichristum talem venisse constanter credimus, & fideliter confitemur.

Nomina Antichristi Papæ non congruunt.

Quare hæreticus delirat, cum cauillatur propterea quod Antichristus vocabitur Latinus, hunc esse Papam, qui Latinus est, cui illud nomen quasi proprium numquam hucusque tributum fuit, cuique alia Antichristi duodecim, seu quatuordecim nomina, quæ obbrobriosa & vituperosa sunt, eidem non competunt. Non enim ei competit, vt vocetur Latinus, quo nomine numquam Papa nominabitur, quamquã præsit Ecclesiæ Latinæ, Græcæ, Armenicæ, Ægyptiacę, & Iudaicę, Christianę. Nec Euãtas, quia hoc nomen nu. *666.* qui CHRISTI vicem tenet, non congruit, sed ei qui CHRISTO palam aduersabitur. Neque Titan, seu Gigas, quod nomen est incognitum, vt D. IRENÆVS est testis, diuinumque putatur apud Idololatras, vt etiam, sol Titan vocetur, denotat vero ostentationẽ quandam vltionis, & vindictam inferentis, quia Papę nomen nemini ignotum est, nec habet Diuinitatem, neque ostentat, sed sibi à DEO diuinitus traditam auctoritatem defendit ac confitetur, ignoscit illatas sibi iniurias, male vero merentibus bene meretur. Neq; Arnume, hoc est, Nego, qđ est nomen negationis, cũ sit CHRISTO assertionis & credulitatis nomẽ, & Papa eius Fidẽ asseret,

ſeret, & illibatam ſeruet. Neque Antemos, quod S. PRIMASIVS interpretatur honori cōtrarias, quo dicitur, Ineptus, Importunus, Incongruus, neq; enim honor ei, ſed anathema debetur, quia Papa honori Diuino & q Diuis debet, exhibens, pro more Antichriſti nō aduerſatur, & ei aduerſātes anathemate percutit, ſed apte, opportune, congrueque ſingulos honorat, ſeque honorare patitur. Neque Lampetis, id eſt Illuſtris, quod nomen, ſicut nemini Sacerdoti, ita nec Papæ congruit. Neq; Onicetes, ideſt, Victor: quia neque malis artibus vincit, neque victor erit perſequendo Eccleſiam, & Chriſtianos necandi, vt Antichriſtus faciet. Neque Cacos odigos, malus dux: quia Papa Paſtor eſt Ouium CHRISTI. Neque Aletes blaberos, vere nocēs; quia neminem lædit, niſi qui ſeipſum lædit, benæque omnibus prodeſt. Neque Paleua Scanos, iam olim inuidus: qa caritate ſua ille vel ad hoſtes CHRISTS diffunditur. Neque Amnos adicos, agnus nocens: quia lupis reſiſtit, Paſtor Chriſtianæ gregis, Agnique qui omnibus profuit, eſt Vicarius. Neque Genſericos, nec Die lux, vel Maometis, vel Martin Lauter, vel Ioannes Caluinus, vel Theodorus Beza, qui his omnibus anathema dicit, & vtroque gladio perſequitur.

Neque vero nomen Antichriſti aliud eſſe putarem, quam Antichriſtus: primo, quia tale nomen Antichriſti nomē Antichriſtus.

men à Scripturis datur Antichristo: Secũdo, quia Ecclesiæ sic eum vocare placet: tertio, quoniam tribuitur hæreticis, qui eius mores perditos imitantur, illius næuis consperguntur, atque ipsius notis conspurcantur: quarto, quia Apostolus vocat illum hominem peccati, filium perditionis, vt sic proprijs tamquam nominibus appellari possit: quinto, quia hoc vno Antichristi nomine cetera complectuntur: sexto, quod sicut D. PETRVS Petra ex eo vocatus fuit à DOMINO, quippe qui Petra futura erat firmissima supra quam CHRISTVS ædificaturus erat Ecclesiam suã, ita Antichristus ille appellatur, quia CHRISTO ex diametro modis omnibus aduersabitur. Deniq; a,1: n,40: t,20: i,10: c,20: h,25: r,90: i,10: s,100: t,30: u,300: s,20: est num. *666.* iuxta nomen Antichristus.

Sententia D. HYPPOLITI Vuitackero aduersatur.

Quod si quid, vt par est, Traditionibus tribuendum, cur non Apostolicum erudimentum existimamus illud D. HYPPOLITI Patris antiquissimi, qui proximus fuit ætati Apostolorum, quod docet Diabolum incarnandum fore, hũcq; futurum esse Antichristum, qui quasi CHRISTI æmulus CHRISTO aduersabitur. Quæ sententia licet communis non sit, mihi tamen fateor non satis displicet. Vehementius autem placet mihi, quod idem Anglorum, Germanorum, & Gallorum hęreticorum mores, sacrilegia & abomina-

mina-

Digitized by Google

minationes, quæ illustrissima septem sunt indicia proximi aduẽtus Antichristi, cui illi ipsi eius emissarij regnũ parant, diuinitus prædixit: Sunt itaque hæc illius sacratissimi Martyris CHRISTI & Patris doctissimi verba: Templa (inquit) Diuina domorum instar erunt. Locis omnibus euersiones fient Ecclesiarum. Scripturæ contemnentur. Hostis illius cantica vbique decantabunt. Nulla erit reuerentia rerum Sacrarum. Nulla religio temerare ac violare Diuina. Lugebunt Ecclesiæ luctu magno. Quin nec Oblatio, nec Suffitus fiet, nec cultus DEO gratus, sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurij instar erunt.

Septẽ indicia aduẽtus Antichristi exp'ent Nouatores.

D. Hippolytus orat. de cõsummat.

Hactenus Prophetæ DEI vaticinium. Quod quidem quam diligenter compleuerunt Lutherani, Caluiniani, Anabaptistæ, & alij in Germania, in Gallia, & in Anglia & longissime etiã superarunt, totus orbis testis est, & nemo quoque quantumuis impudens, quantumuis profanus, quantumuis impius istud negabit. Quin imo verbis confirmant & factis illud, iactantia gloriantur inani, execratione exultant detestabili, scriptis nefandis testantur, libris editis in lucem iactant, edictis & legibus à Satana dictatis luce clarius meridiana palam pronunciant, atque blasphemant. Quibus quidem plene præsenti Thesi impijssimus concordat Vuitackerus. O furor furorum omnium nouissimus. O tempora

facinorosissima, ô mores pestilentissimi, ô flagitia diabolicissima.

Hæreticus.

Quamquam si quis malit de tempore interpretari, non magnopere dissentiam. Si enim ab anno 97. quo Ioannes vixit, suamq; Apocalypsin scripsit, annos 666. numeramus, & Ecclesiæ statũ cõsideramus anno 763. adultum iam Antichristum, Romæ regnantem, vtroque gladio terribilem, tamquam Deum ab hominibus Christianis adorandum, conspiciemus. Quid amplius requirimus? aut quid apertius præmonstrari potuit? Num etiam faces admonẽdæ sunt? Tamen sunt adhuc etiam alia, quæ licet magnopere repugnemus, vim tamen ad persuadendum maximam adhibebunt.

Numer⁹ nominis Antichristi non quadrat cum vllo Pontifice Romano.

Catholicus.

Lindan⁹ in Dia. Feuardẽtius ĩ An. in Iræn.

De hoc numerato nomine plura habent veteres quam hîc repeti queant. Recentiores Christiani, vt Guilhelmus Lindanus, Franciscus Feuardentius scribunt, cum Luthero quadrare mirum in modum affirmant atque demonstrant. Cuncti vero iuxta Scripturæ inuiolabilem textum vni tantum homini referunt, & huic numeri, nõ temporum, ratione. Textus enim clare sic habet. Numerus hominis est, & numerus eius est sexcenti & sexaginta sex. At si numerum annorum designari contra Textum sacrum cũ Vuitackero censemus, (quod auertat DEVS) tot annos fluxisse à CHRISTI Incarnatione ad Anglorum vsque conuersionem perfectã, Antichristum ex eodem regno potius deriuãdũ dicemus.

Quod

Digitized by Google

Quod autem impudētissime garris Romę anno 763. regnasse Antichristum, plane te Historici mendacem notabunt. Tunc enim claruit D. PAVLVS Primus, cuius vitæ integritatem, doctrinam, humilitatem, præclaram benignitatem, singularem clementiam, & eximiam pietatem boni omnes amabant, admirabantur, & commendabant. Is verus Saluatoris nostri imitator fuit, inquiunt, vbi non reddebat malū pro malo, sed contra pro malo bonum impijs, qui ipsum iniuria afficiebant. Item nocte surgebat, pauperes inuisebat, egenis eleemosynam elargiebatur, afflictos consolabatur, infirmos refocillabat, carcere detentos visitabat, ac liberabat, pupillos & viduas adiuuabat, defendebat ac protegebat. Constantino Cæsari, & Sabino regi Bulgarorum impijssimis hæreticis pro DEI Ecclesia, Sanctorumque illibata fide Christianissime restitit. Et hunc DOMINI sui eximium imitatorem, CHRISTIque præclarissimum sectatorem, Summumque DEI Vicarium emissarius Antichristi, nefando Antichristi nomine pessime traducit Vuitackerus.

Baptista Platin. in vit. Pont. Roma. in P. P. & al.

Paulus I. CHRISTI æmulus, & Antichristo oppositus.

Sed audiatur quam impudenter, stolideatq; falsissime noui garriant garruli Nouatores ac nouum portentum impietatis à Satana suggestum noue proferãt Chytræus in Apoc. Bibliander. in tab. 19. Caluinus in 2. ad Thess. 2. Illyricus

Bellarminus lib. 3. con. de Ant. c. 4. p. ..

cus ad c. 2. Thes. 1. Thilman. lib. de sexcen. erro. Lutheranorum quos perperam Catholicis ascribit, Beza, Bullingêrus, Musculus, Luther⁹, Magdeburgenses & alij præstigijs Satanæ fascinati, & fascinationibus dœmoniorum seducti; bacchantur. n. quod Antichristus anno DOMINI sexcentesimo venit, & hic Pontifex fuit Ecclesiæ Romanæ, tamen liquet, quod post hoc sexcentesimi anni seculum à CHRISTO sextum, multi Pontifices Romani non minori sanctitate clari, virtute perspicui, auctoritate graues, regimine nobiles, doctrina insignes, fide præclari & miraculis illustres, quam Pontifices, qui claruerunt ante sexcentesimum annum, fulserunt. Proinde si ante sexcentesimum venit Antichristus, ijdem hæretici falluntur & fallunt, quippe dicunt anno sexcentesimo Antichristum venisse. Quod si non venit ante, nec tunc, neque post, venisse fateantur, necesse est, nisi velint secum ipsi pugnare, & Antichristum fuisse omnem Pontificẽ Romanum, omnem Papam Martyrem CHRISTI quantumuis religione, cultu, auctoritate, fide, eruditione, & pietate parem ceteris, & vniformem; ac ipsũ D. PETRVM, imo ipsum IESVM Christum, sine fine impie blasphemare.

Antichristus anno DC. non venit.

Adhæc, sicut alij Pontifices Maximi & Pręsules Ecclesiæ DEI ante annum DC. non fuerunt Antichristus, ita nec anno DC. ac post fuerunt Anti-

Papæ irreprehensibiles, impie reprehendunt hæretici.

Antichristus: quoniam fuêre CHRISTI imitatores præclarissimi, eidem nulla re oppositi, ipsissimi Vicarij CHRISTI, verissimi Ecclesię eius Præsules, ab eodem in D. PETRO instituti, semper crediti, ac semper habiti ab vniuerso Christianismo, vtpote Diui HONORIVS Primus anno 624. SEVERINVS Primus 631. THEODORVS Primus 641. MARTINVS Primus 647. AGAPETVS Primus 680. CONON 668. SERGIVS Primus 689. & complures ac deinceps Diuus ZACHARIAS P. Diuus PAVLVS P. Diuus ADRIANVS P. Diuus PETRVS Cœlestinus, Diuus NICOLAVS P. Diuus GREGORIVS Septimus, Diuus LEO Non. & multi alij scientia, prouidentia, iustitia, fide, virtutibus, miraculis & sanctitatē toto orbe cunctis seculis spectatissimi & illustrissimi, planeq; Apostolici, atque amici DEI, vasa electa à DEO, CHRISTI Templa, Rectores Ecclesiæ DOMINI, SPIRITVS SANCTI hospitia, & verissima & certissima sacrosanctæ TRINITATIS organa; ergo hos Pontifices plane irreprehensibiles, sicut nec D. PETRVM nec ceteros Apostolos, nonnisi à Diabolo & ipsius symmistis Antichristi nomine traduci posse apertissimum est.

Addo, quod si anno sexcentesimo venit Antichristus, cum eo tempore floruerit D. GREGORIVS Maximus, qui, vt Sācti, celebres, illustres, ac fide

D. GREGORIVS Magn' à notis Antichristi.

omnium alienissimus. ac fide digni nobis scriptum reliquerunt, ex superioribus neminem superiorem, & ex posterioribus Pontificibus parem neminem, aut certe paucos pares habuerit, neminemque vmquã vel humiliorem, vel sanctiorem, vel sapientiorem hucusque CHRISTI obtinuerit Ecclesia, quiq; ita rexit suo tempore Ecclesiam, vt ad viuum repræsentaret illam, quam D. LVCAS tempore Apostolorum viguisse refert, vnde iure meritissimo doctissimus Ionas Episcopus lib. de Imag. ipsum ROMANÆ SEDIS GLORIAM post D. PETRVM appellat; quam ob rem nimis vere ac certe consequitur, Nouatores istos impudentissimos plane popinones esse mendacissimos, cyclopes pessimos, furias impijssimas, dœmones furentissimos, quibus nec Cœlum tegit, nec Terra sustinuit, nec Infernus accepit, nec vlla nouit ætas iniquiores, ac detestabiliores, adeo vt nemo vmquam mortalium hominum, nec immortalium Angelorum illos vituperare, conuitiari, execrari, detestari, & satis abominari posset.

Ionas.

Ex his vero à quo fonte corruptissimo suum hausit venenum Vuitackerus, claret, & quia mali corui, mala oua pariunt, & squamas squamæ sequuntur, secutus est hæreticos, qui anno DC. Antichristum venisse cauillati sunt, fingens tum fuisse natum, adultũ vero anno DCCLXIII. quo

D. PAV-

Digitized by Google

D. PAVLVS Primus in toto Chriſtianiſmo claruit, cauillatur, cum debuiſſet miſer mortalium ſerio potius aſſeuerare, CHRISTVM anno DC. in Eccleſia natum. Quamquam ſcio ipſum Turciſſime inſanire, hæreticiſſime furere, & diaboliciſſime debacchari D. GREGORIO Magno prouidentiſſime, & Chriſtianiſſime CHRISTI Eccleſiam regente ac gubernante Antichriſtum veniſſe; huncque Pontificem DEI ſelectiſſimum fuiſſe Antichriſtum: quia is cum Cœlitibus conuerſabatur, omnem inanem gloriam refutauit, ſe Primus omniũ Seruum ſeruorũ DEI humiliter nominauit, Eccleſiam canticis, & cœremonijs pijſſimis & religioſiſſimis exornauit, fidem CHRISTI Catholicam potiſſimũ de vera CHRSTI pręſentia abſque pane in Euchariſtia veris roborauit miraculis, diuitias cũctas IESV donauit, eius pauperes omnes pauit, publice Sãctos ex verbo DEI & Eccleſiæ orthodoxia inuocauit, Imagines non Ethnice, ſed Chriſtiane honori haberi cum tota Eccleſia exiſtimauit, SPIRITVS SANCTI lumine fuit plurimum vegetatus ac viſibiliter eruditus, Continentiam Clericorum ſeruandam curauit, malos puniuit, bonos exaltauit, votifragos correxit, hęreticos, idololatras, & Infideles exterminauit, Longobardos & Anglos ad CHRISTI fidem traduxit, totum mundum quaſi Monarcha ac Vicedeus optime

& irre-

Digitized by Google

& irreprehensibiliter rexit. Ob has & his similes causas sanctissimas, tunc venisse ac natū esse Antichristum ementiuntur ac blasphemant hæretici. O si superuiueret Pontifex Diuinissimus vehementius profecto, quam solebat, clamaret: O tempora, ô mores.

Rursus autem profligatissimum CHRISTI perduellem in odium Papæ, propter Antichristum, in gratiam Satanæ tam impudenter mentientem, audiamus.

Hæreticus. *Præuidit* (impius dicit hæreticus) *Spiritus Sāctus de loco quæri posse ac dubitari, in quo loco hunc Antichristum regnare oporteret: quare locum ipsum Christianis notum esse voluit, vrbemque huius Antichristi sedem designauit. Ea vero Roma est, quam Ioannes & Babylonem vocat, & mulierem septem montibus insidentem, & vrbem terræ regnis Imperantem. Hanc esse Romam qui dubitat, nescio an sapiat. Antiqui Patres mysterium perceperunt. Tertullianus contra Iudæos, Babylon, inquit, apud Ioannem nostrum Romanæ vrbis figuram portat. Hieron. in cap. 47. Esa. in episto. ad Asel. in fin. lib. 2. aduersus Iouinianum, in prologo lib. de Spir. San. Romam esse Babylonē testatur, eamque purpuratam meretricem appellat August. lib. 18. de Ciuit. Dei. cap. 22. Romam esse alteram Babylonem, & prioris Babylonis filiam affirmat. Orosius lib. 2. cap. 3. Romam per omnia Babyloni respondere multis rationibus demonstrat.*

Promi-

Promiseras superius te tantum ex Scripturis illustrissimis cuncta velle probare, modo videris ab eisdem destitui, ac propterea ad Sanctorum Patrum calculum confugere. Vel quia animaduertis textum Apocalypsis obscurum esse, aut certe de veteri nõ de noua Roma Apostolũ prędicere, eidemq; in eo oẽs Patres quos citas atq; ceteri Orthodoxi commode recteque assentiri. Demiror tamen quod homo tam peritus scilicet Caluinologus, Anglologus, Diabologus, Britannorum magister ac seductor, non attulit in medium illud nimirũ D. PETRI, quẽ nomine Antichristi in se ac in suo Successore toties blasphemat, testimonium illustrissimum. Salutat vos inquit Romæ scribens, Ecclesia, quæ est in Babylone collecta. Quam Babylonem Romam idololatram, nõ autem Christianam in qua Vicarium DEI Omnipotentis regnare Orthodoxi Patres asseruerunt, explicuisse Veteres, vt D. HIERONIMUS, D. MAXIMVS, D. AVGVSTINVS locis pluribus & plures, quisque peritus certe non nescit. Vnde ipse D. AVGVSTINVS de C. D. lib. 20. c. 9. Bestia ipsa (Apoc. 3.) impia Ciuitas intelligitur, & populus infidelium, contrarius populo fideli ac Ciuitati DEI. Proinde pulchre locũ ipsum Apocalypsis Orthodoxi Patres Gręci explicant, sic enim D. ANDREAS Cæsareensis Episcopus sapientissimus explicat. Meretricẽ

Catholicus.

De qua Babylone [illegible] S. P. Ioannes in Apocalypsi.

D. Augustinus.

S. Andreas.

S quidam

quidam veterem Romam designare putant; &c. Ad antiquam Hierusalem dicitur; Meretricis frons tibi facta est; & vetus Roma in canonica B. Petri Babylonis vocabulo designatur. Verius tamen illud in eam vrbem conuenit, quæ apud Persas imperium tenuit. Quare familiarius quoque & Babylon & meretrix quam ceteræ nominatur. Hæc ille in Apoc. c. 52. 35. qui & dicit: Antiqua Roma iam olim Imperij maiestatem amisit. Abeat igitur hæreticus cum suis stolidis nugamentis, qui Antichristum eo tempore, quo omnes negant venturum, eo loco, quo nemo nouit venturum, & imperio deleto, quo illum nemo vidit vmquam, aut nouit vsquam, venisse delirat.

Hæreticus. *Sed quid quærimus hominum testimonia, aut quid ratione desideramus, quando hanc vrbem Ioannes ipse esse eam declarat; quæ septem montibus insidet? Proferant mihi, si possint, in omni terrarum orbe ciuitatem aliquam, in Europa, in Asia, in Africa, in nouis Indijs, atque illa nuper inuenta America, in qua sunt montes septem, præterquam nostram Romam, quam in septem montibus ædificatam esse omnes intelligunt, Pulcherrima Roma, septem quæ vna sibi muro circumdedit arces. Et montium nota sunt adhuc nomina, Capitolinus, Palatinus, Auentinus, Cælius, Exquilinus, Viminalis, Quirinalis. Atque vt sit alia, tamen hæc vna regibus populisque omnibus dominata est. Romam ergo esse de*

qua

qua Ioannes loquitur nullam habet controuersiam?

Nec erat quidem opus tantas blaterare nugas, tam superuacanea verborum circuitione circumuenire auditores, cum iam concedimus Romam esse de qua prędixit Apostolus, sicut tu vis. Tamen dicimus Romam per Diuinam Prouidentiam ex idololatra Christianam effectam, ex adoratrice Deorum inanium, DEI vnius veri ac viui adoratricem factam, ex Ethnica Christianam, ex Impietatis fautrice Pietatis cultricem, ex matre ipsius superstitionis Magistram Veritatis ac Religionis, ex Sanctorum necatrice, Martyrum nutricem, ex meretrice Antichristi CHRISTI Sponsam, ex serua dœmoniorum, Christianorum Dominam, ex Satanæ captiua liberam DOMINI IESV subditam ac DEO plenam, ex Inferni tributaria Paradisi Hæredem atque Cœlorum Clauigeram.

Catholicus. Roma noua quantopere à veteri differat.

Hanc ob rem Roma, quæ sanguine Diuorum Apostolorum PETRI & PAVLI & innumerabilium Martyrum CHRISTI DEO consecrata est, & quæ Vicedeum habet, ob Fidei Christianę firmitatem omnibus mundi populis illustrior, & gloriosior à Diuis PAVLO, IGNATIO, IRENÆO, CYPRIANO, HIERONYMO, AMBROSIO, AVGVSTINO, OPTATO, PROSPERO & Sanctis omnibus & omnibus Orthodoxis plurimum commendatur. Quam quidem

Romę encomium.

S 2 cum

Digitized by Google

cum IESVS ipse firmitate Fidei numquam desituræ construxerit in D. PETRO, in eius Successoribus ita auxit & confirmauit, vt Regum, Cæsarum & cunctarum portarum inferi hæresibus, sceleribus, machinationibus, seditionibus, stragibus, captionibus, trucidationibus, exercituum agminibus numquam expugnare potuerint, iamque non solum verba DOMINI luce lucidior quam meridiana vera videamus: Tu es, inquit, Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi numquam expugnabunt eam, sed etiam hucusque planissime probata, plenissime confirmata, tunc verissime prædicta, nunc certissime completa.

Romana Ecclesia portis inferi inexpugnabilis.

Hæreticus.

Et Roma est, non modo qualis olim fuit, tyrannis imperantibus, quod Pontificij ipsi concedunt, quia effugere non possunt, quin hanc ipsam esse Romam fateatur, sed cuiusmodi deinceps extitit dominante Papa, quod euincam ex ipsis verbis. Romam enim Ioannes describit, & quoad veterem statum imperij, & quoad renouatum atque instauratum, quemadmodum constat ex cap. 13. collapsum autem imperij Romani statum solus Pontifex restituit, atque illam imaginem quodammodo demortuam animauit. Ergo vtrumque statum significat.

Catholicus. Prophetia Apocalypsis

Ex præmissis propositionibus falsis, vt regula Logicæ habet, falsa quoque sequitur conclusio: minime enim Romam quoad veterem statum,

& quoad

& quoad nouum describit, vt tu nugaris impie ac imperite. Sed pœnitet non tantum me, quod tibi donauerim D. IOANNEM fuisse, vel de veteri Roma locutum. Namque, ostendam tibi, inquit. damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis terræ. Hæc nullatenus ad Romam pertinere potest, quæ non habitat super aquas, sicut tu quoque affirmas. Attinet ad Turcarum Imperatorem, qui Byzantij habitat, vel potius congruit regi Angliæ, qui instar prostitutæ meretricis à fide defecit, in qua habitat reges terræ, videlicet mundi amatores, quæ habitans super aquas, non aquâ, sed vino hæreticæ prostitutionis inebriata est. Atqui quod Britannia tot Martyres CHRISTI seculo præterito fecit, addit: Vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum IESV. de Romã Christiana nihil habet.

Septem montes, audi quomodo interpretatur ipse D. IOANNES: Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & septem Reges sunt. Et recte septem mõtes septem reges interpretatur, quia montes eminentes sunt, aspectabiles, & fortes, sicut & Reges sunt ac esse debent. Quos septem Reges ad Angliæ septem Reges infideles, vel ad hæreticos præcipuos referri possunt, vel ad septem secula, quæ in Idololatria Prophetia de septẽ montibus non attinet ad Romanã vrbem.

à CHRI-

à CHRISTO permansit, vel etiam ad septẽ peccata letifera, quibus subdetur Antichristus, vel ad septem dœmonia, qui in Scriptura describuntur, à quibus tota Anglia hæretica possidetur.

Licet præterea Anglicane contendas hęretice Apocalypsis Scripturam, quæ, vt in adagio fertur, cereum habet natum à te stare, quæ tamen cum sit obscura & à te contorta nihil certi cõcludere potes, cui non est credendum in odium Papæ delire obloquenti, quiq́ue nuper natus es, sed Sanctissimis veteris Ecclesiæ Patribus, quibus DEVS abscondita reuelauit, multisq́ue modis horum auctoritatem firmauit atque auxit; quippe septem capita seu montes meretricis, septem eminentioris impietatis Principes, nempe à Cęsare Domitiano vsque ad Diocletianum, qui omnes DEI Ecclesiam atrocissime persecuti sunt, exponunt. Vel septẽ mundi ætatibus, vt D. HIPPOLYTO placet, vel septem regna, vt D. IRENÆI sententia est, adumbrata per septem dies, & septem Cœlos & septem Angelos ceteris præstantiores, celebriora ceteris. Vel etiam septem sunt monarchæ, S. ANDREÆ Cæsareensis sententia in Apoc. Com., Ninus Assyriorum, Arbax Medorum, Nabuchodosonor Chaldæorum seu Babyloniorum, Cyrus Persarum, Alexander Magnus Macedonum vel Græcorum, Romulus, uel Augustus Cæsar Romanorum, Con-

S. Hippolytus. S. Irenæus. S. Andreas.

stantinus

Digitized by Google

stantinus Orientalium aut nouæ Romæ.

Inter Latinos uero Orthodoxos D. PRIMASIVS: Propterea per septem capita septem montes, per sapientiæ sensum nonet, consequēter intelligi, ut Romam, quæ super septem mõtes prȩsidet significans, omni quod orbe monarchiæ præfuit dominatu ad istorum regnum similitudinem adduxisset, & in Romæ nomine totius regni potentiam figuraret. Hæc ille in Apoc. lib. 4. cui assentitur in Apoc. cap. 13. & 17. D. DIONYSIVS Carthusiensis, per septem capita, inquit, Antichristi uniuersitas principum eius exprimitur. S. EDVARDVS Rex Angliæ Prophetiæ spiritu donatus ap. Io. Parisien. serm. de Ant. ad 7. dormientes ac 7. plagas de Antichristi aduentu alludit, ceu ad 7. montes vel capita meretricis, alij ad 7. status Ecclesiæ, de quibus Vbertinus tractat, plures ad 7. tribulationes Ecclesiȩ, nonnulli ad 7. visiones Apocal. vt B. IOACHIM ac S. BRIGITTA, ego autẽ ponerem septẽ fundamenta Ecclesiæ Apostoli contra Iudæos, Martyres contra Tyrannos, Doctores contra hæreticos, Prædicatores contra Gentiles, Iusti contra improbos Christianos, Enoch & Elias cõtra Antichristum, & Christum contra Diabolum, Antichristum & Reproborum genus, vel nec temere referam ad 7. præcipuos hȩresiarchas emissarios Antichristum, quorũ primus est Simon Magus,

S. Primasius.

Carthusianus.

S. Eduardus.

secundus

Digitized by Google

secundus Manes, tertius Arius, quartus Nestorius, quintus Euthyches, sextus Berengarius, septimus Lutherus: Vel denique ad 7. reges, qui persecuti sunt Ecclesiam DEI Romanam, primus Iulianus Apostata, secundus Vitiza rex Hispaniæ, tertius Fridericus Secundus, quartus Cõstantinus Copronymus, quintus Leo Tertius, sextus Henricus Tertius, septimus Henricus Octauus Angliæ, quibus Romana Ecclesia insedit, pedum præsidentia calcauit clauicum Cœlestis Regni auctoritate.

Ceterum D. IOANNES asserit ex his septem Regibus, quinque cecidisse, vnum superesse, aliũ nondum venisse, & cum venerit, oportet, inquit Apocal. 17. breui tempore illum manere. Vnde octauum regem significat Antichristum, qui post septẽ venturus est reges impios. Porro D. PROSPER: Septem reges nominat: illis tribus expulsis; ipsum autem octauum Antichristum esse, cum sit ex septem. Ergo inquantum datur existimatio, aut priores reges memorat, qui truculentiores fuerũt in Religione Christiana: aut ex decem tribus extinctis, septem futuros qui & ipsi sæuiant in Ecclesiam: Om̃nes sane hæreticos Arrianos (itẽ Lutheranos, Caluinianos, & Anabaptistas) vult intelligi, cum dicit: Hi aduersus Agnũ pugnabunt, & Agnus vincet eos. Pugnant enim exufflando, & rebaptizãdo membra Agni,

D. Prosper lib. de Præd. & Prom. cap. 8.

quæ

quæ iam CHRISTVS suo sanguine sacrauerat. Sed nemo perijt, ait Dominus, nisi filius perditionis. Antichristum Neronis luxuriem & spurcitiem, sæuitiamque morum habiturum, Daniel Propheta testatur. Hæc Orthodoxus Pater, cui cõcordant & ceteri Orthodoxi. Propterea quidquid est de Prophetia eam ad Romam Christianam pertinere numquam demonstrare poteris, sicut de Antichristo & de hæreticis ibi & alibi multa leguntur, à te callide omissa, quæ audito te protinus in medium adferam.

Deinde in cap. 17. vers. 8. aperte loquitur de bellua, quæ ascensura esset ex abysso. Romanũ vero antiquum Imperium, iam erat viuo Ioanne constitutum, quare de regno Pontificio, quod nondum emerserat, loqui Ioannem certissimum est. Hæreticus.

Deinde in cap. 17. vers. 8. aperte loquitur de bellua, quæ ascensura esset ex abysso. Romanum vero antiquum Imperium, iam erat viuo Ioanne constitutum: quare de Antichristo, vel de regno Anglico, vel de Turcico, vel Iuliani Apostatæ, Leonis Tertij, vel Henrici Octaui regis Angliæ regno, quod nondum emerserat, loqui Ioannem certissimum est. Catholicus.

O quam mendax, quam improbus, quamque seductor est detestabilissimus iste magister Anglorum, non verbis, non rationibus, non auctoritatibus, sed iaculis, telis, bombardis, ferro, fur- Prophetia à D. IOANNIS de Imperio Romano expleat.

ca, igne à mundo eximendus est. Namque quam flagitiosissime corrumpit, trahit ad se, vt mysterium iniquitatis operetur, D. IOANNIS textũ Apocalypsicum, in quo leguntur cap. 13. vers. 8. Bestia quam vidisti, fuit, & est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit. Hîc dicat ferinus hæreticus, & bestiologus homo, si hæc bestia Romanũ est Imperium, vt ipse θηριολόγος imo & alij interpretantur impij, cum hæc ante D. IOANNEM eodem teste, fuerit, esset, ac futura fuerit, ascensura esset de abysso, ac interierit, vbi iam tot ante secula Romanum Imperium interijt quoad idololatriam, cum omni idolo & superstitionum cultu, necesse consequitur, vt de Romano Pontificio nihil dixerit; quoniam ante Apostolum hũc & suo tempore adhuc idololatricum extabat imperium, quod cum iam olim penitus in interitum iuerit, plene Prophetiam expletam esse palam est.

Hæreticus. *Atque hæc eadem bellua est septiceps. Hinc constat, quæ hic Ioannes scripsit, de imperio, monarchiaque Pontificia intelligi. Alias omnia erunt dissentanea. Quid multa cumulem, quid hominum testimonia, quæ incerta sunt & dubia, ad hæc Diuina, tam clara, tam multa adiungam?*

Catholicus. Prophetiæ Apocalypsis. Quanta verba prodigis, & ceu de glorioso triumpho tutus iam victoriam cantas. Sed hîc licet paulisper immorari, vt plura, quæ in Apocalypsi

calypſi ſurdo aure, & conniuētibus oculis aſtute præterijt impius Vuitackerus trutinemus. Omiſit primum, quod cap. 9. verſ. 5. D. IOANNES ait: Vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terrã, & data eſt ei clauis putei abyſſi, & aperuit puteũ abyſſi. Et aſcendit fumus abyſſi, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt Sol & aer de fumo putei. Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram: Et data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ. Et cet. Quæ & alia quæ conſequuntur verba, cum erudite, tum eloquēter, nemini magis quam Luthero aptari poſſe Illuſtriſſimus Cardinalis demonſtrat Bellarminus. declarantur.

Angelum præterea abyſſi; qui tertiam ſecum partem traxit, vt in Apocalypſis oraculo eſt, per omnia quadrare non temere Ægidius Hunnius quantumcumque Lutheraniſſimus declarat hoc pacto in Calu. Iud. fol. 181. Detectum ſatis ſuperq; iudico Angelum illum tenebrarum Ioannem Caluinum, qui ex abyſſi puteo emergens, partim deteſtabili hac & inſana libidine torquēdi Scripturas, & propugnacula Chriſtianæ religionis aduerſus infideles Iudæos, & Arrianos diruendi; partim impio in ſacroſanctam maieſtatem exaltati Ieſu Nazareni calamo; partim etiã peruerſo dogmate de re tota Sacramentaria, denique horribilibus ſuis de abſoluta prædeſtinatione portentis & paradoxis, non minimã Solis

Hũnius. Caluinus eſt Angelus tenebrarum.

Digitized by Google

partem, vt Apocalypsis loquitur, his nouissimis temporibus obscurauit, trahens magnum stellarum numerum, & vna secum in abyssum præcipitem agens.

Nomẽ insuper Apocalypsicæ bestiæ satis Luthero congruere supra dixi. Nunc vero addo verba hæc Apocalypsis c. 13. Data est potestas bestiæ loquendi magna, & aperuit os suum in blasphemia aduersus Deum, blasphemare nomẽ eius & tabernaculum eius. Et data est ei potestas faciẽdi bellum cum Sanctis & vincere & occidere eos. Et data est ei potestas in omni tribu & lingua & gente, & adorabunt eam omnes, qui non sunt scripti in libro vitæ Agni qui occisus est ab origine seculi. Hæc verba impleuit procul dubio Lutherus, dum sine superbe, & impudenter magna locutus est, iactans se Prophetam DEI esse, suam de Cœlo habuisse doctrinam, se omnibus Doctoribus præferendum, seq; de Satana triumphasse. Item DEVM malorum auctorem constituit, & multas his similes blasphemias protulit. Pariter omnes Sanctos cõtempsit, traducere conatus est, execrandis maledictis & sacrilegis cõuitijs est insectatus. Sectatores eius eumdem adorarunt, & quasi Prophetam coluerunt, quoniam ipse prædixit stercora sua adoranda fore. Sed superius ad alios retuli verba Apocalypsis, quæ relata statim D. PROSPER ista subiungit. Hic

D. Prosper lib.

etiam

etiam Martyria Domini refulgent, vt ſicut pri-mus eius aduentus milia infantium, ita ſecundus electorum ſuppleat numerus. Hæc ille ad Antichriſtum, qui paulo ante CHRISTI aduentum veniet, retulit. de Præd. & Prom.

Adhæc D. IOANNES cap. 10. ait: Vidi ex ore draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore pſeudoprophetę ſpiritus tres immundos exeuntes velut ranas. Sunt enim ſpiritus dœmoniorum facientes ſigna. Exibunt ad reges totius orbis terræ, congregare illos in pugna ad diem illũ magnum Omnipotentis. Quæ verba Antichriſti tempore competent, eadem illis, qui ipſi viam parant, cõpetere nullus ex Chriſtianis peritus negabit. Ex his Lutherus eſt ille exitialis draco, ex cuius ore vt ipſe teſtatur, immundi ſpiritus loquebantur, & ex eodem tres ſpiritus immundi hoc eſt Lutherani, Caluiniani, & Anabaptiſtæ prodierunt. Ex ore beſtiæ Zuinglij nempe, vel ſi mauis Caluini etiã prodijt Satanæ ſpiritus immundus. Ex ore autem pſeudoprophetæ ſpiritus immundus ſcilicet Buceri, vel potius Vuitacheri exire probatur. Horum primus iuit ad Cæſares ad Reges ſcripſit, ſecundus furijt in Galliæ Reges, tertius in Angliæ debacchatur regibus. Signa non facerunt, quamquam facere tentarint, eorum ſigna fuerunt vitia horribilia, temeritas numquã ſatis execrabilia, impudentia numquam nimis Lutherus de Miſ. pri.

dete-

detestabilia, mendacia numquam plurimũ abominabilia, conuitia numquam abunde vituperabilia, maledicta numquam sufficienter infamabilia, contumeliæ numquam multopere notabiles, & blasphemiæ numquam plene excommunicabiles.

Prẹterea extat alia Prophetia D. IOANNIS, quæ corrobat ea quæ antea dixi, quibus labi machinam Vuitackeri hæreticam necesse est. Dabo,
7 ait Dominus, duos Martyres meos, & prophetabunt diebus mille ducẽtis sexaginta amicti saccis. Hæc Sanctissimi & Orthodoxi Patres exponũt de Sãctis Elia & Enoch, qui furẽti Antichristo obsistẽt, his diebus, quos si computemus, tres annos & sex menses, quibus Antichristus in orbe debacchabitur, vt omnes dicunt, sumemus. Qua de re disputans D. PROSPER Aquitanicus pulcherrime dicit: Consummationem, perfectionemque temporum trium annorum & sex mensium, qui dicti sunt dies mille ducentum sexaginta & duos, etiam Daniel Propheta commendat. Hæc ille; quibus adijciuntur quæ idem sapientissimus Pater non multo post ex eadem Apocalypsi probat, Antichristum Hierosolymis persecuturum Heliam & Enochum, dicens: In Apocalypsi Ioannis dicitur cap. 11. Cum finierint Martyrium suum, bestia, quæ ascendet de abysso, facit cum his bellum, & vincet eos, & occidet

D. Prosper lib. de Prom. & Præd. ca. 11. & 13.

occidet eos, & corpora eorum iacebunt in platea Ciuitatis illius magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorũ crucifixus est. Id quidem antea prædixit alter vates DEI D. MALACHIAS Propheta cap. 4. hoc pacto: Ecce dicit Dominus, mittã vobis Heliam Thesbitem priusquam veniet dies Domini magnus & manifestus, qui restituet cor patris ad filium & cor hominis ad proximum suum, ne veniam percutiam terram funditus. Sic enim iste Prophetæ conuertent corda patrum ad filios, vt ostendant, quæ Patriarchæ, vel Prophetæ prædixerunt de Christo in humilitate venturo, conuincentes Anrichristum, non esse Christum. Contra Pharaonem duo testes DEI missi sunt, Moyses & Aaron, & duo magi Pharaonis Iamnes & Manbres resistentes Mosi, qui simul cum suo rege periêrunt; & contra Neronem duo, Petrus & Paulus Apostoli, at contrario Simon magus qui & se perdidit, & Neronem decepit: & cõtra Antichristum duo, Enoch & Helias Prophetæ.

Hæc omnia & alia Lector Christiane seductor hęreticus malitiose omisit, nequiter subterfugit, quibus scilicet (velit, nolit) vidit irrefutabiliter reiectas, & irrefragabiliter refutatas suas strophas, Satanicas & impias calumnias, sacrilegas criminationes, improbas imposturas, pessimas contumelias, Ethnica conuitia, Turcica maledicta, Vuitackerus prostratus.

Digitized by Google

cta, meretriciam maledicentiam; & diabolicas blasphemias, quibus mundo Antichristum iam venisse, iam regnasse, iam completas esse de eodem Prophetias, iam hæreticis solis scilicet Christianis, si Deo placet, retectas, non alium futurum, non esse singularem hominem, non venturum genere Iudæum, non ex tribu Dan, non in fine mundi, non omnibus manifestum fore, hũc autem Papam esse, qui hunc & alios hæreticos per excommunicationem iustissimam, Euangelicissimam & Christianissimam Satanæ supposuit, modis omnibus, vt pote dorsis, cruoribus, cubitis, manibus, pedibus, oculis, facie, ore, faucibus, voce, vociferatione, acclamatione, motu, circuitione, ruditu, rugitu, boatu, garrulatu, gannitu, grunnitu, contra DEI verbum & Ecclesiæ Auctoritatem demonstrare conatus est.

Hæreticus. *Itaque nunc concludo, atque ex his omnibus ἀπόδειξιν confıcio.*

Catholicus. Collectio notarum Vuitackeri. Eo tandem peruenisti, vt finem faceres maledicendi, mentiendi, ac seducendi, sed qualem cõclusionem ex tuis his Satanæ excrementis expectare possumus, quando tam densas & palpabiles caliginosas tenebras ficte offudisti, Ecclesiã, imo CHRISTVM hostiliter persecutus fuisti, temere contempsisti, praue blasphemasti, Scripturam DEI sacrilege deprauasti; verbum Domini hæretice corrupisti, oracula Pharisaice extorcisti,

torsisti, SPIRITVS SANCTI Prophetias pro libito hûc illûc illicite traxisti, firmissimas Sanctorum Patrum sententias audacter neglexisti, venerandam scriptorum veterum Antiquitatem audacter paruipendisti, Traditiones Ecclesiasticas impie abiecisti, tutissimas sacrorum Doctorum assertiones vesane respuisti, verissimas Diuinorum Theologorum rationes pro nihilo perdite duxisti, efficacissimas Catholicorũ cunctorum probationes phrenetice risisti, (proh malum) fidem omnium seculorum & cõsensum omnium Christianorum fanatice subsannasti, sacra omnia Concilia, Decreta, Canones delire refutasti, Martyres & Cœlites vniuersos & vniuersas nationes, quæ sub cœlo sunt lymphate traduxisti, SPIRITVS SANCTI Doctrinam in Ecclesia Catholica Apostolica & Romana perniciose & furenter damnasti, CHRISTVM protopatrem Antichristi plusquam Turcice constituisti, Antichristum esse D. PETRVM ac Diuos Pontifices omnes Martyres, Doctores sacratissimos, Sanctissimos, Sapientissimos, & Diuinissimos pestilenter defendisti, in his Antichristum venisse pessime finxisti, ac ipsũ DEVM Optimũ Maximum, auctorẽ, institutorẽ, & fautorẽ Antichristi Diabolicissime instituisti, ac infernaliter blasphemasti. O Cœlũ cur hunc pateris? O Terra cur non deglutis? O Inferne cur non abripis?

Hæreticus. Si is sit Antichristus qui sese Christo opponit, qui sese effert supra omnem qui dicitur Deus aut Numen qui ἀποστασίαν in Ecclesiam inuexit, qui sedet in Templo Dei, qui se se ostentat esse Deum, qui euerso Italico Imperio tyrannidem & monarchiam ad se rapuit, qui statim post Christi ascensum in suis præcursoribus cœpit, qui ad mundi finem durabit, qui Satanam συνεργὸν habet, qui signa & prodigia mendacia iactat, qui se Agni similem fingit, & tamen loquitur vt draco, qui belluæ prioris imaginem instaurat, qui omni modo λατεῖνος est, qui Romam, μυστικὴν Babylonem, vrbem septicollem occupat, qui purpuratus est, qui meretrix est, deniq; qui omnes Antichristi notas in Scripturis à Spiritu Sancto diligentissime & clarissime descriptas habet, quod omnino necesse est nisi male descriptum esse à Spiritu Santo Antichristum statuemus, tum Romanus Pontifex est Antichristus, & nullus alius: verum autem est antecedens: verum igitur & consequens.

Catholicus. Conclusio Vuitacheri in Vuitackerum. Si is sit Antichristus, qui sese Christo opponet, qui efferet supra omnem qui dicitur Deus aut Numen, qui ἀποστασίαν in Ecclesiã inuexerit, qui sedebit in Templo Dei, qui sese ostẽtabit esse Deum, qui euerso Dei cultu impiam tyrannidem, pseudoprophetiam, & idololatriã ad se rapiet, qui statim post Christum in hæreticis suis præcursoribus adumbrari cœpit, qui ad finẽ mundi menses quadraginta duos durabit, qui Satanæ συνεργὸν habebit, qui signa & prodigia mendacia

iactabit,

Digitized by Google

iactabit, qui se Agni similem finget, & tamen loquetur vt draco, qui bestiæ prioris imaginem instaurabit, qui omni modo χαζ[illegible] insultabit, qui Hierosolymam vrbem occupabit, qui purpuratus erit, qui meretricibus vtetur, deniq; qui omnes Antichristi notas in Scripruris à Spiritu Sancto diligentissime & clarissime descriptas habebit, quod omnino necesse est, nisi male descriptũ esse à Spiritu Sancto statuemus, tum Antichristus erit Antichristus & nullus alius: verum autem est antecedens: verum igitur & consequens.

Hæc ego astruxi contra tuam collectionem, quæ profecto tot scatet pene mendacijs quot verbis, quæ quidem iniquorum errorum ac detestabilium hæresum colluuione repletur, pluribus abundat imposturis, multis sycophantijs Satanicis, & diabolicis plena est, iurgijs plurimisq; blasphemijs, quæ nimirum in sterquilinio Satanæ collocandæ erant, refertur. Sed non est quærendus nodus in scirpo, nec aqua in mare: ab heretico enim homine Veritas exulat, Fides abnegatur, Religio abrenũciatur, Cultus temeratur, Christianitas contemnitur, Concilia nullo loco ponuntur, Sancti proculcantur, Patrum Doctrina abiuratur, Modestia exprobratur, Impudentia nubetur, Improbitas fouetur, Impietas colitur, Hæresis adoratur, Scriptura peruertitur, Euangelium deprauatur, vtrumque Testamentum cor-

Epilogus Vuitackeri notatur.

Hæretici hominis notæ Antichristianæ.

V 2 rumpitur,

rumpitur, mendacium pro Veritate distrahitur, Falsitas profertur, res Diuinę pro ludo habentur, sacra profanantur, Summi Vicarij DEI & D.N. I.C. odio agresti & plusquam Vatiniano negliguntur, Sanctitas subsannatur, Pertinacia amplexatur, vitia celebrantur, sacrilega incœsta pro Matrimonio commendantur, Virginitatis professio exilio relegatur, Ieiunium exploditur, obedientia dãnatur, Paupertas irridetur, bona Opera penitus eneruantur, Concilia Euangelica respuuntur, Nouitas deligit, Schisma approbatur, Concordia reprobatur, Pax odio habet, Libertas pro libito viuendi laudatur, Ecclesia DOMINI, & quidquid semper pie credit & Christiane tradit, traducitur, Diabolus amatur, CHRISTVS proditur, & DEVS blasphematur.

Anatomia epilogi Thesis Vuitackeri.

Hæc autem in hac ipsa præsenti Thesi, ut sit in exemplum, Vuitackerus hæreticus turpiter perpetrauit: Quando enim: si is sit Antichristus, dicit, fallit. Quando addit qui se se effert supra omnem qui dicitur Deus aut Numen, infense decipit, deprauat Scripturam, vi extorquet, & ingēti impietatę trahit ad DEI Vicarium. Quando ait: qui ἀποςασίαν in Ecclesiam inuexit, inuehitur in Ecclesiam, Fidei eius perēni; Religioni intemeratæ, Cultui perpetuæque Pietati renunciat, ac Impietati deuouet. Quando adijcit: qui sedet in Templo DEI Scripturam Diuinam sine fine impudenter

pudenter corrumpit. Quando subnectit: qui se se ostentat esse Deum, scelestissimam imposturam, & impudētissimum mendacium profert. Quando subiungit: Qui euerso Romano Italico imperio tyrannidem, & monarchiam ad se rapuit, improbitatis, impudentiæ, pertinaciæ, & impietatis cultor est, atque blasphemus in CHRISTVM, & in Ecclesiam. Quando postea inquit: Qui statim post Christi ascensum in suis præcursoribus cœpit, omnes Sanctos pessundat flagitiosissime, & gloriosissimos Pontifices, Martyres, Doctores, Dei Vicarios facinorosissime traducit. Quando ijsdem illico adiungit: Qui ad mundi finem durabit: Christianismum contemnit, hæresim profitetur, vtrumq; Testamentum temerat, Catholicos oēs quotquot vnquā fuerunt, respuit, & vniuersam IESV Christi cōdemnat Ecclesiam. Quando sub infert: Qui Satanam συνεργὸν habet, impijssime blasphemat in DEVM. Quando prosequitur impie dicēs: Qui signa & prodigia mendacia iactat, impius est in Dominum. Quando loquitur; Qui se Agni similem facit, & tamen loquitur vt draco, Pontificibus Maximis verissimis & certissimis Ecclesiæ DEI Præsulibus nequissime maledicit, & totam iniquissime traducit Ecclesiam quę est, & quæ fuit. Quando insuper infit: Qui beluæ prioris imaginē instaurat, in vniuersam CHRI-

STI

Digitized by Google

STI Religionem furentissime debaccharur. Quando subsequitur: Qui omni modo λατ..ος est, stropharum plurium, & multorum mendaciorum scriba, & consarcinator est; Quando ab impietate non desistit, dicendo. Qui Romam, μυστικὴν Babylonem, vrbem septicollem occupat. Quando improba malignitate calumniatur: qui purpuratus est. Quando ab impijs maledictis non cessat, sic impie cauillando: qui meretrix est. Ceterum vt denique tam impium emissarium Antichristi, eiusque notis ac neuis insignem notare concludamus. Quando hæretice concludit; nulla est malitia, nulla nequitia, nulla impietas, in qua non se ipse includit.

Argumẽta Vuitackeri cõfutantur. *Primo si is sit Antichristus*, ait hæreticus Vuitackerus, vt ad singula fusius respõdeam, *qui sese Christo opponet*, ac si sic argumentaretur: *Papa Christo sese opponet, ergo Papa est Antichristus*.

I. Primum maior simpliciter falsa est: quoniam Antichristus se se Christo opponet, dicens se esse Christum, vt Diui IRENÆVS, AMBROSIVS, THEODORETVS & complures Apostolici, & Sanctissimi Patres Orthodoxi asserunt; negabit Christum fuisse Saluatorem mundi, negabit illum esse Deum, negabit Euangelium Christi, deceptorem Christum dicet, seque Christum esse à Prophetis prædicatum falsis signis iactabit. Vnde CHRISTVS admonet ac iubet sectatoribus

Anti-

Digitized by Google

Antichristi non credere dicẽtibus: Ecce Christus hic est. Hæc vero non tãtum Apostoli, & Doctores Ecclesiæ docẽt, sed ipsius nominis ratio nempe Antichristus demonstrat. Proinde ad huius similitudinem Iulianus Apostata fuit Antichristus, Constantius Imperator, Henricus Octauus rex Anglicanorum, Lutherus, Caluinus, Vuitacxerus, & alij qui præceteris se se Christo opposuerunt, ideo non omnes qui se Christo opponũt, sunt Antichristus, sed Antichristi, ille autem solummodo qui ex professo instituto & concesso per totum diametrum se se Christo opponet, erit Antichristus. Falsa itaque est minor: quia Papa dicit se esse Seruum seruorum CHRISTI, Christum agnoscit esse DEVM, mundi Saluatorem confitetur, ei credit, seruit, ministrat, eumq; colit, in Spiritu & Veritate adorat: Ergo Papa non est Antichristus.

Secundo: Antichristus se se effert supra omnem qui dicitur Deus aut numen. At hic est Papa, qui se se effert supra Deum: Ergo est Antichristus. II.

Sed se efferre supra Deum nihil aliud est, quam se supra DEVM, qui omnia ex nihilo creauit, qui omnia potest, qui omnia quæ ei competunt, efficit, facere, DEVM verum ac viuum negare, eumdem modis omnibus impugnare, traducere, persequi, ac non esse Deum docere, vnde D. DANIEL Propheta cap. 8. de Antichristo prædixit hæc:

Digitized by Google

hæc: Pugnabit contra Principem Principũ. c. 11. Magnificabitur aduersus omnem Deum, & in Deum Deorum loquetur magnifica. At Põtifex Maximus numquã nusquam citra cõtrouersiam hæc vel excogitauit quidẽ, qui passim Fidem Catholicam, Apostolicam, ac se Seruum Seruorum DEI & D.N.I.C. profitetur, DEVM sine hypocriti adorat, se hominem mortalem, sicut ceteri, affirmat, CHRISTIque subditum palam confitetur. Ergo Papa non est Antichristus.

III. *Tertio: Antichristus ἀποστασίαν in Ecclesiam inuexit, Papa hanc in Ecclesiam inuexit, ergo Papa est Antichristus.*

Apostasiam non inuexit Papa in Ecclesiam, igitur nihil habet cum Antichristo commune. Et si.n. ab Apostolis fundatæ Ecclesiæ defecerint, tamen Romana Ecclesia ab Apostolis hactenus, nullã fecit Apostasiam: idem enim semper credidit, idem semper docuit, idem Symbolum semper habuit Apostolicum, Nicænum, & Athanasinum, idem Euangelium, idem Baptisma, eamdem Doctrinam, quam Apostoli, quam Martyres, quam Sancti, quam Patres, quã Concilia sacrosancta quatuor illa priora, quæ vel ipsi hæretici quodammodo approbant, & alia plurima ex omnibus mundi nationibus & sapiẽtibus congregata, aliaque plurima, retinuit. Pariter semper apostatas Simonẽ, Cerdonem, Marcio-

nem,

nem, Arium, Neſtorium, Dioſcorũ, Eutychem, Vuicleuum, Huſſum, Lutherũ, Caluinum & his ſimiles peſtes orbis, dœmoniorũ gregales, pſeudoprophetas, pſeudochriſtos, ac omnium apoſtatarum ſectarios condemnauit atque deteſtata eſt. Nec enim ea vllatenus apoſtatare poteſt; nõ ſolũ ſi Patribus illuſtriſſimis, verũ etiã ſi CHRISTO creditur, dicenti Primo Papæ: Rogaui pro te, vt numquam deficiat fides tua. Rurſum: Tu es Petrus & ſuper hãc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Ac ſubiungit, Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Quæ illuſtriſſimus & locupletiſſimus exitus hucusque completa veriſſime probauit, & adhuc certiſſime probat. Neq; Tyranni, neque infideles, neque hæretici, neq; peccata, & quæ aliæ ſunt portæ inferorũ Romanam CHRISTI Eccleſiam expugnare potuerunt, ac poterunt. Deinde ſi diſceſſio ſeu apoſtaſia à Papa facta eſt, vt impius hæreticus blaſphemat, cum apoſtata primum credat CHRISTO & ſectatur eum, & poſtea non, conſequitur, vt Antichriſtus fuerit Chriſtianus & deinceps fiat apoſtata, Papa vero cũ ſit sẽper Chriſtianus, Catholicus, Apoſtolicus, ſacro Baptiſmate ablutus, fide Chriſtiana imbutus, patet hęc pugnare cõtra DEI verbũ & Eccleſię Patres, quæ tradit qđ Antichriſtus nõ baptizabitur, nõ erit Chriſtianus, nõ apoſtatabit à fidę CHRISTI. Ergo Papa nõ eſt Antichriſtus.

Digitized by Google

IV. *Quarto: Antichristus sedet in Templo Dei: Papa sedet in Templo Dei, ergo Papa est Antichristus.*

Templum DEI vt in Scriptura est, est Templum Salomonis, Papa non sedet in Templo Salomonis; igitur Papa non est Antichristus.

V. *Quinto: Antichristus ostentabit se esse Deum: Pontifex Romanus id perpetrat; ergo censendus est Antichristus.*

Pontifex Maximus dicit se esse Vicariũ DEI, Caput Ecclesiæ Catholicæ, Clauiger Regni Cœlorum, cui concordat tota Ecclesia quę vmquam floruit; ideo nos ostentat se esse DEVM, ergo nequaquam Antichristus est.

VI. *Sexto: Euerso Romano Imperio venit Antichristus, sed Papatum venit, & monarchiam ad se rapuit, ergo pro Antichristo habendus est.*

Romanum Imperium adhuc extat, Papa habet Monarchiam à CHRISTO traditam, quam idem tradidit, promisit, Sanctiq; omnes credunt & docent, Papa fuit antequam Romanum Imperium ab Idololatris ad Christianos translatum fuerit, pluribus seculis, vt euidenter constat. D. PAVLVS præterea docet, quod prius veniet discessio & tunc reuelabitur homo peccati. Sed si euerso Romano Idololatrico Imperio Pontifex Romanus apostasian fecit, consequitur, vt eo tẽpore homo peccati Antichristus videlicet reuelatus fuerit. Hic vero nondum fuit reuelatus,

nisi

Digitized by Google

niſi, quantum hoc ſeculo in odium Papæ, perſecutores Eccleſiæ CHRISTI Romanæ iactant reuelatum ſibi eſſe; ideo nec Papa fecit apoſtaſian, nec Antichriſtus reuelatus fuit, quemadmodum D. PAVLVS & SPIRITVS SANCTVS prædixit. Summus itaque Pontifex minime eſt Antichriſtus.

Septimo: Antichriſtus veniet primum in ſuis præcurſoribus, ſed Pontifices Romani ſtatim poſt Chriſti Aſcenſum fuerunt præcurſores Antichriſti, ergo Papa eſt Antichriſtus. VII.

Vere mẽdacium operatur ſtylus ſcribæ: Nam D. PAVLVS aſſerit, quod Antichriſtus eximie erit homo peccati, filius perditionis, adeoq; homo numero ſingularis, Pontifices vero plurimi fuerunt, ideo tam fuerunt Antichriſtus, quam vir ſingularis eſt pluralis.

Deinde ſi Papa eſt Antichriſtus, conſequitur vt non hîc ſingularis, ſed omnes fuerint Antichriſtus, qui ſunt Papæ eiuſdem auctoritatis, fidei, doctrinæ, confeſſionis ac profeſsionis; ſicque nimirũ fuêre Antichriſtus priores Sanctiſſimi Pontifices ac D. PETRVS, quinimo ipſe CHRISTVS, aut ſaltẽ ſi Antichriſtus eſt Papa & præcurſores veteres habuit, vt hæreticus ſine fine impudenter mentitur, & impie blaſphemat, neceſſario & clariſſime conſequitur, vt D. PETRVS ac ipſe IESVS Chriſtus Antichriſti fuerit præ-

cursor, ab eoque Antichristus suam traxerit originem, ac fuerit constitutus, Ecclesiam ædificauerit Antichristi, & fuerit ipse CHRISTVS Antichristus. Quas blasphemias ipsius ministri Auerni pudendas habent dæmones, horret infernus, tremat Terra, pauet Cœlum, nauseant pij spiritus, execrantur Angeli, detestantur Beati, abominatur CHRISTVS, & ipse è Cœlo excommunicat DEVS.

Præterea quo pacto in illius animum, qui vnciolam Pietatis retinet cadere potest, quod tot Sanctissimi Ecclesiæ Pontifices, Doctores vitæ doctissimi, Martyres CHRISTI gloriosissimi, Antichristi precursores fuisse dicatur. Inter quos Diui LINVS & CLEMENS Apostolico ore laudantur, D. PETRVS ipsius DOMINI ore laudatur, hique & plurimi alij pro CHRISTI nomine, quod est IESVS, amore, honore, & fide multopere laborauerunt, Martyriumque passi sunt. Apage os blasphemum, sacrilegum, infernale atque diabolicum. Antichristus etenim priuatim futurus est homo peccati, & filius perditionis, & interficietur à CHRISTO, primitiuæ Ecclesiæ Papæ vita fuêre innocentissimi, irreprehensibiles, cohæredes CHRISTI, & sanctissimè è vita excedentes Martyrij palmam pro eo ab eius infidelibus reportantes sempiternæ fruitionis indepti sunt salutem, quam ipsis Saluator

ipse

ipse promisit, quos ideo Ecclesia pro Sanctis in DEO religiose veneratur & colit, nemo ex Christianis aliquando in Cœlo Beatos non credit, vnde non consequitur vt præcursores Antichristi saluentur, & Antichristus damnetur, Antichristi præcursores à Tyrannis pro CHRISTO trucidentur, & Antichristus, vt prædixit Apostolus, à CHRISTO interficiatur; Antichristi præcursores sint Sanctissimi, & Antichristus sit impijssimus. Papa igitur nullo pacto est Antichristus.

Octauo: Antichristus durabit vsque ad finẽ mundi: Pontifex Romanus durabit vsque ad finem mundi: ergo Pontifex Romanus est Antichristus. VIII.

Nego maiorem: quia Prophetæ DEI prædixerunt, veluti supra demonstraui, tribus tantum annis & medio durabit Antichristus. Contra vero Ecclesia CHRISTI durabit vsque ad finem mundi, vt puta quia CHRISTVS dixit: Vobiscũ sum vsque ad finẽ mundi: & quia Ecclesia CHRISTI, cuius loco Papa præsidet, inexpugnabilis est à portis inferi, ac super D. PETRVM & eius Successores ædificanda & regenda est, vt IESVS & Sancti prædixerunt, vsque ad finem mundi durabit, quod quidem manifestissimus & certissimus euentus hactenus probauit. Ecclesia itaque CHRISTI vsque ad finem mundi durabit. Papa est Vicarius CHRISTI, Caput ac Præsul Ecclesiæ

siæ CHRISTI, vt ipse & Ecclesia ipsius hactenus firmissime docuit ac fidelissime declarauit. Papa igitur duraturus ad finem mundi vsque Antichristus esse non potest.

IX. *Nono: Qui Satanam συνεργὸν habet, est Antichristus: Papa Romanus talis est: igitur est Antichristus.*

Falsa est maior, minor & conclusio: Simon enim magus, Marcus magus, & his similes Satanæ synergiam habuerunt, & non fuerunt Antichristi, sed Antichristi emissarij, sicut Apostolus docet, dicens de Antichristo 2. Thes. 2, Mysterium iam operatur iniquitatis. Nondum venit Antichristus. Inde Pontifex Maximus hanc non habet Satanæ efficaciam. Nam Romanorum fidem mirum in modum laudat Apostolus, & laudatam toto orbe terrarum asseuerat. Comprobarunt idem deinceps eius Discipuli Diui LINVS, CLEMENS & complures. Item suam habet potestatem à DEO, quam ipsi tradidit IESVS, Ecclesia refert, testatur, credit, docet ac omni seculo prædicat. Item damnauit Arium, Caluini parentē, qui CHRISTI Deitatem detraxerunt, Eunomium & Sommerum, qui SPIRITVM SANCTVM abnegauerunt, Pelagium, & Pelsingeristas, qui Gratiam DEI eneruarunt, Berengarium & Zuinglium qui DOMINI Sacramentum perdiderunt, Donatistas & Anabaptistas, qui Baptisma CHRISTI corruperūt; Photinum & Lu-

& Lutherum, qui DEVM peccatorum auctorem blasphemarunt, & complurimos. Imo omnes hereticos, omnes hæreses Scripturæ, Euangelio & SPIRITVS SANCTI Doctrinæ repugnantes. Multa præterea in ædificium Ecclesiæ instituit, & ad splendorem Christianæ Religionis, ad compositionem morum, ad correctionẽ peccantium, ad restringendos abusus, ad disciplinam rituum, ad incolumitatem vitæ Christianæ custodiendę, & ad decorem DEI, quæ omnia ô vtinam ô vtinam ô vtinam diligentissime seruarentur, quia nulla dignior religio, nulla sãctior Ecclesia, nullus æquior populus, nullus iustior Christianismus in toto orbe videretur, aut visus esset aliquando ab ipsa Ecclesia Catholica post Apostolica & Gregoriana tempora. Quare DEVM συνεργὸν habet. Ergo Papa nullo modo ad Antichristum referri posse probatur.

Decimo: Antichristus signa & prodigia mendacia iactat: Pontifex est Antichristus, quippe talia, iactat. X.

Pontifex Maximus ante plura secula non facit miracula, adeoque non iactat miracula siue vera siue falsa, ergo non est Antichristus.

Insuper Miracula, quæ olim Pontifices Oecumenici fecerunt, vt probarent CHRISTVM esse DEVM, mundi Saluatorem, vera docuisse, & his similia, quæ spectant DEI gloriam & honorem, procul controuersia non fuerunt mendacia, quia

à Dia-

à Diabolo, qui hostis est DEI, CHRISTI osor ac persecutor acerbissimus, fieri non potuerunt, nec DEVS falsitatis ac mendacij testis esse potuit. Quare duo indubitata his complectimur, prius, quod Pontifices DEI vera perpetrarunt Miracula, DEOque auctores ad cuius honorem referebantur, posterius, quod hæc numquam à Satana, neque ab Antichristo ad CHRISTI Fidem probandam, & ad CHRISTI gloriam exaggerandam perpetrari valuerunt, vt manifestissimum est. Ergo CHRISTI Vicario procul dubio Antichristi nihil est.

XI. *Vndecimo: Antichristus se similem Agni finget ac loquetur vt draco: Pontifex Romanus Agni similem se fingit, igitur pro Antichristo habendus est.*

Hoc pacto omnis hypocrita erit Antichristus, & præ ceteris hæreticus quisque, vt Vuitackerus & omnis hæræticus, qui nihil aliud fere in ore quam CHTISTVM habet, quem tamen doctrina & vita prodit. Pontifex Ecclesiæ non se fingit, sed vere ac iure similis est Agno, cui vices gerit, quippe regit eius Ecclesiam, dirimit lites, contentiones sedat, iudicat populum, dicit verbum DEI, confirmat fratres, creat Pastores, pascit greges, remittit peccata, soluit debita peccatorum, DEO Sacrificium offert, Sacramenta administrat, gratias agit DEO, benedicit, paret, laudat eũ, adorat, glorificat, damnat hæreticos,

arguit

arguit principes, excommunicat tyrannos, imperat Diabolis vt poſſideant hæreticos, Cœlum denique ſponte ſua aperit & claudit.

Poſtremo Antichriſti ſimilutudo, magis diſſimilitudo erit, quia is ſe CHRISTVM eſſe dicet, ſe DEVM viuentem prædicabit, præſtigijs Satanæ confirmabit, adorari iubebit, & per omnia, vt eſt teſtis Apoſtolus, CHRISTO aduerſabitur. Ergo Vicarius DEI, non eſt vicarius Diaboli ſcilicet Antichriſtus.

Duodecimo: Antichriſtus belluæ prioris imaginem inſtaurat: Pontifex Romanus illud perpetrat, at is eſt Antichriſtus. XII.

Ad hæc primo reſpondeo, ex tuæ mentis impetu prioris belluæ imago inſtauranda fingitur, ſecundo ad Pontificem Oecumenicum vi trahis Apocalypſin, tertio nullo modo Pontifex Maximus inſtaurat collapſum Imperij Romani idololatricum. Sed vnum verum DEVM loco Deorum fictorum, quos idololatræ adorabant, inſtituit, iuſſit, Sacrificia vero DEO viuo offerri demandauit, ſuperſtionibus Ethnicorum expulſis Crucem CHRISTI plantauit, Sãctos honori haberi, iuxta Apoſtolicam, Catholicamque Eccleſiæ irreprehenſibilem, certiſſimam & Chriſtianiſſimam traditionem voluit. Non ergo Præſul Eccleſiæ Beatiſſimus vllum Antichriſti veſtigium retinet.

Digitized by Google

XIII. *Tertiodecimo: Qui omni modo λατεῖνος ἐστιν Antichristus est: Papa in hunc locum recensetur, quare Antichristus est.*

Nihil Antichristi retinet Papa, sed Apostolorum, sed Sanctorum. Deinde Sancti IRENÆI expositionem nullus, quãtum vidi, sequitur, igitur non est Catholicis calumniosę obtrudenda. Diuus insuper IRENÆVS asserit Antichristum tentaturum, vt seipsum ostentat esse Christum, ex Iudæis nasciturum de tribu Dan, de improuiso vẽturum, & regnũ sibi vendicaturum. Quamquam cum ceteris Orthodoxis & Catholicis Patribus germane interpretatus sit D. DANIELIS cap. 11. dicendo: Nostri melius interpretantur & rectius, quod hæc sit facturus Antichristus, qui tam humilis erit atque abiectus, vt ei non detur honor regius. Insuper D. IRENÆVS asserit Ecclesiam Romanam verissimam esse Ecclesiam CHRISTI, ab Apostolis fundatam, ab eius Successoribus summis, Pontificibusque Christianissimis roboratam & auctam. Ex quibus patet nec excogitari quidem ex eo posse Sanctissimũ DEI Pontificem Antichristum esse.

D. Iræn. lib. 5. ad hær.

Lib. 3.

XIV. *Quartodecimo: Antichristus Romam occupabit: Episcopus Oecumenicus Romam occupat, ergo est Antichristus.*

Antichristus occupabit Romam, Papa CHRISTI vices legitime gerens Romam austissime

me occupat, ergo non est Antichristus.

Quintodecimo: Antichristus est purpuratus: Pontifex est purpuratus, ergo est Antichristus. XV. Vuitackerus regẽ suum facit Antichristum.

Rex Angliæ est purpuratus, Antichristus talis est, quamobrem, rex Angliæ Antichristus est.

Hæc quidem ideo dixi, quia si Vuitackeri hæretici valet consequentia, vtique ineptissima, quod Papa sit Antichristus, quia est purpuratus; consequitur eodem auctore hæretico, vt nõ plus Papa, quam rex Angliæ, quem speramus & precamur Catholicum videre, sit Antichristus, & ita his alijsq; ineptissimis delirijs potiusquam argumentis ac solidis rationibus professor iste, vt se appellat, regius, non minus regem suum proprium, quam Pontificem ac Regem Christianorum Maximum facit Antichristum.

Sextodecimo: Antichristus est meretrix, Papa est meretrix, propterea est Antichristus.

Antichristus est meretrix, Vuitackerus est hæresis, quæ est meretrix, igitur est Antichristus.

Vereor ferme in rebus his tam serijs & sacris ludere, quæ plangenda potius sunt maxime, nisi me quodammodo sophismaticæ nugæ, & sophisticæ strophæ cogerent doctoris mortis, monstri Anglici, ac cyclopis Auerni Guilielmi scilicet Vuitackeri. Qui tã profane, tam sacrilege, tamq; impudentissime Babylonem, meretricemq; Romam illam appellauit, quam Prophetæ DEI, Romæ præconium.

 Ciuita-

Ciuitatem Sanctam, Ciuitatem DEI, Ciuitatem Solis appellauerunt. Sancti vero Patres Matrem Christianitatis, Magistram Christianæ Fidei, ceterarum Ecclesiarum Principem, refugium Christianorum, gloriam mundi, terrarum mundi pulchritudinem excellentem nuncupauerunt.

Ex his autem de eadem D. EZECHIEL c. 38. clare & D. IOANNES c. 20. Ciuitatem DEO dilectam affirmat, prędicendo: Cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & cōgregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum, & CIVITATEM DILECTAM. Gog & Magog Iudæi ipsi ponunt gentes, quę cum Messia venient Hierosolymam. Plerique Gog Gentes, Magog Diabolum censent. Plures exercitus Antichristi futurus. D. PROSPER inter reliquos asserit: Quibus Ciuitatem sanctam calcari, vt existimatur ab hæreticis, & maxime ab Arianis, qui tunc plurimum poterunt, Gog & Magog, vt quidam dixerunt Gothos & Mauros, Gatas & Messagetas, per quorum sæuitiam ipse iam Diabolus Ecclesiam vastat, & tunc amplius persequentur. Cessare etiam faciet (Antichristus) iuge Sacrificium, propter quod admonet Dominus, dicens: Venio cito.

Gog & Magog quid significet.

D. Prosper de Prom. & Præd. ca. 33.

Digitized by Google

cito. Beatus qui seruauerit vestimenta sua ne nudus ambulet. Gothos vero & his similes & Arianos turbasse & persecutos fuisse Ecclesiã & Romam conculcasse, vel parum admodum periti Historiarum lucide agnoscunt.

Dehinc exponens textum D. IOANNIS Apocalypsicum sanctissimus & eruditissimus D. ANDREAS Cæsareensis, cum eodem Romam ad Antichristi aduentum vsque toti orbi præsidentem regnaturam; pulcherrime cap. 53. in Apoc. com., dicit: Neque absonum fuerit, si orbis vniuersi principatum vsque ad Antichristi aduentum vnam regnantem Ciuitatem constituamus: postremam autem Antichristi tyrannidem, quæ modico tempore, si priores Monarchias spectemus, duratura est, si quidem ex illis super quingentos annos imperârunt: aliæ vltra mille. Hæc ille Orthodoxus Græcus, cui assentitur ex Latinis B. IOACHIM, dicens libro Concord: conflabunt, secundum Esaiam, gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Nõ leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebantur vltra ad prælium. Ecclesia autem DEI tunc & in finem seculi erit maxima & deuotissima DEO, & erit vnum ouile & vnus Pastor, Et Romanus Põtifex in spiritualibus dominabitur à mari vsque ad terminos orbis terrarum, & erit reformatio status Ecclesiæ in eum gradum & similitudinẽ, in quo

Monarchia Papæ vsque ad finem seculi duratura.

fuit

fuit tempore Apostolorum. Et lætabitur in multitudine duorum populorum Iudæorum & Gentilium, & dictus status Ecclesiæ, & similitudo Apostolorum erit nō solum in Summo Pontifice & in Ecclesia Romana: sed in omnibus alijs Prȩlatis & Collegijs, ac omnes Reges & Principes populi, Romanum Pontificem vt verum Vicarium Christi honorabunt, diligent sincere ac reuerebuntur. Item secūdum Danielem: Regnum Ecclesiæ erit super omne regnum: & consummabit omnia regna terræ in Maioritate, Reuerentia, & Perseuerantia, & stabit in æternum.

Romanæ CHRISTI Ecclesiæ eximia laus.

Post hæc nolo silentio præterire, qđ D. IOANNES primum suo exemplo, (vti existimo) quādo Romȩ fuit, inde verbis instruxit ita ipsius Discipulos de Romana CHRISTI Ecclesia, quæ semper ceteris CHRISTI Ecclesijs præsidet, vt nulli alij ex Discipulis Apostolorū in eam magis deuoti legātur. D. IGNATIVS μεγαλόμαρτυρ primus fuit, qui Pontificem Romanum Papam appellauit, Ecclesiæ præsidentem dixit. Deinde alter eiusdem Apostoli, Euangelistæ, ac Prophetæ Discipulus D. POLYCARPVS à remotissimis regionibus recedens Romā appulit, vt conferret de Fide, de ritibus, ac cœremonijs cum altissimo DEI Vicario D. ANICETO, ab hoc vero confirmatus, summa lætitia fortis in fide abscessit Roma. Huius Discipulus D. IRENÆVS Romanos

D. Ignatius epist. ad Romana.

D. Irenæus lib. 3. c. 3.

Romanos Pontifices & Romanam Eccleſiã tam auctoritate, quam fide & doctrina ceteras ſupercellere perſpicue agnoſcit, & fideliter teſtatur. Huic pro exemplo ſuccedit Tertullianus, qui inquit: ſi Italię adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt. D. MARCVS Pontifex Maximus hæc vaticinatus eſt diuinitus; Romana Eccleſia ſemper immaculata manſit, & Domino prouidente & B. Apoſtolo Petro opem ferente, in futuro manebit, ſine vlla hęreticorum inſultatione, firma & immobilis omni tempore perſiſtet. Hæc ille, cui D. ATHANASIVS Magnus reſpondens, Romanam Eccleſiam Matrem & caput Eccleſiarum propter auctoritatem fatetur & prædicat. Deinceps D. GREGORIVS Theologus: Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam Fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet Vrbem, quæ toti orbi præſidet, ſemper de DEO integram Fidem habere. Ruffinus: In Eccleſia Vrbis Romę, neque hæreſis vlla ſumpſit exordium, & mos ibi ſeruatur antiquus. D. CYPRIANVS: Ad Petri Cathedram, ad Eccleſiam principalẽ, perfidia habere nõ poteſt acceſsũ. D. MAXIMVS: Vbi caput ſuperſtitionis erat, illîc caput quieſcet Sanctitatis. D. AVGVSTINVS: Placuit ei, qui nõ ſolum bonis, verum etiam, & malis bene vti nouit, Romanam Ciuitatem; Diuina & inexcogitabili ſua Prouidẽtia, ac conſi-

Tertullianus d' preſcript. ca. 36.

D. Marcus ep. ad S. Athan.

D. Athanaſius epiſt. ad S. Marc. Pa.

Nazianz. in carm. de vir.

Ruffinus in Symb.

Carthaginenſis li. 1. epiſt. 3.

Taurinenſis Hom. de SS. P. & P.

Hipponẽſis d 1. P. l. 14. c. 27. li. 3. cont. Marc.

ac consilio, pressis paulatim tyrannorum potestatibus ac Deorum falsorum cultu sublato præciosissimo suorum Martyrum cruore ac Euangelica prædicatione purgare, sanctificare, ibiq; Petri Cathedram & Successorem eius fœdere sempiterno collocare, vt adimpleretur, quod dictum erat ab Esaia Propheta: In cubilibus draconum, orietur viror calami & iuncti. D. PROSPER: Roma per Sacerdotij principatum, amplior facta est arce Religionis, quam solio Potestatis. Rursum: Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris, Facta Caput mundo, quidquid non possidet armis, Religione tenet. Eadem roborant & exaggerant ad hunc vsq; diem ceteri Orthodoxi.

Regiensis li. 2. de voc. gen. De ing.

Ex quibus vero neque Scripturas, neque Prophetias, neque doctrinam Apostolicam, neque Ecclesiam de Romano Pontifice notam vllã, quæ Antichristi sit nota, prædixisse & demonstrasse: Antichristum vero nullum adhuc potius alium lucide, quam Vuitackerum hæreticum & omnem hęreticum designasse simul ac retegisse compertissimum est.

Antichristus potest præsidere Ecclesiæ CHRISTI.

His autem addere licet, quod Scripturæ quas in medium adferunt hæretici Antichristi vitia non doctrinam prædicunt: vnde etiamsi concederemus hæreticis, quod auertat DEVS vt hoc illis vmquam vllatenus pro vero concedamus, Papã esse Antichristum, nõ propterea Ecclesiam

Catho-

Digitized by Google

Catholicam non vera docere concluderent. Moliuntur enim quo Papa probatur esse Antichristus, vt inde totum Ecclesiæ statum demoliātur, at cum fieri possit Ecclesiam Catholicam vera docere & credere, etiam dato hoc quod volunt hæretici, consequetur vt Ecclesia hæc nullatenus esset hæretica, sed Ecclesia CHRISTI Catholica, cum ille simul esse potuit potestate Vicarius CHRISTI, moribus Antichristus, Fide, Religione cultuque Christianus; quanto ergo magis Ecclesia Christiana erit, cum Papam ita esse CHRISTI Vicarium ac Vicedeum asseramus, vt nullo pacto Antichristus etiam sit, manifestissimum habeamus?

Deinde si in moribus Papa Antichristum, & in fide & doctrina CHRISTVM sequeretur, cum Papa tantum homo priuatim propter mutuam successionem non sit, sed plurimi sint Papæ; & Antichristus, quem Scriptura & Ecclesia futurum prædixit, vnus singularis homo erit, iste vnus Antichristus omnis Papa esse non potest; neque ex illis Antichristis, qui hæretici sunt, esse potest, cum ipse CHRISTO non aduersetur doctrina, & moribus, sicut illi vtrisque aduersantur hæretici, qui non semel, nec quibusdam moribus, tantumque quidam eorum, sed semper CHRISTO sunt aduersarij, doctrina, moribus omnibus, omnes hæretici; ergo neque vnum ex Antichristis, neq; ipsum vnicū Antichristū esse, vel

Papa ex nullo genere ac numero est Antichristus.

Digitized by Google

vel esse posse Papã procul õi controuersia ex hactenus discussis apertissime demonstratum est.

Denique tam impossibile est CHRISTVM falsa dixisse, quam impossibile est CHRISTVM non fuisse CHRISTVM ac DEVM: sed ipse vere dixit ac fideliter promisit, ac illustrissime patefecit, suam Ecclesiam supra D. PETRVM ædificandam, quę si tantum non nisi ad annum vsque DC., quo Antichristum venisse blasphemant hæretici, ædificata fuit, palam est, quod hoc nullatenus fieri potuit; cum IESVS Christus non solum ædificãdam promisit supra D. PETRVM, verum etiam ita super hanc Petram fortificandam & propugnandam se velle asseuerauit, vt numquam aduersus illam portæ inferi essent præualituræ; ideo si Antichristus in Ecclesia D. PETRO fundata anno 600. regnare cœpit, & plusquam mille annos regnauit, & ipsa tum CHRISTI Ecclesia Antichristi synagoga effecta est, apertissime consequitur, vt CHRISTVS falsa promiserit, falsa prædixerit, falsoque veram ac perpetuam Ecclesiam supra Petram Romæ inconcussam, & immobilem ædificauerit, cum nusquam alia perennis adhuc extet Ecclesia, quam prorsus inexpugnabilem supra D. PETRVM CHRISTVS manifestissime erexerit; quam ob rem, velit nolit hæreticus, hoc plenissime consequitur, quod scio, numquam diluet, verissime Veritatis firmissimum fundamentũ, quod

Antichristi omnes prostrati.

TAM

TAM FALSVM EST, QVOD ROMANVS PONTIFEX SIT ANTICHRISTVS, QVAM FALSVM EST, QVOD CHRISTVS SIT ANTICHRISTVS.

SI itaque denique Antichristus vnus singularis homo est, Si Sancti Patres Romanę Ecclesiæ semper maxime fideles fuerũt, Si Cathedram D. PETRI CHRISTVS cõstituit, & in ęternum custodiuit, Si Antichristus non adueniet, nisi deleto penitus Romano Imperio, qđ adhuc stat, Si Euangeliũ nondũ est in toto mũdo prædicatum, Si Antichristus non veniet nisi ante ipsã consummationẽ seculi, Si Iudæi suscipient Antichristum veluti Messiam suũ, Si Antichristus nascetur ex Iudæis de Tribu Dan, Si Antichristus circumcidetur & Sabbata colet, Si mater eius nominabitur Salamith, Si erit perditionis filius, Si Hierosolymis Antichristus sedet in Templo DEI, Si Antichristus solium Dauidis occupabit, Si Iudæos dispersos congregabit, Si Circumcisionẽ & idololatriam inducet, Si ex homine nequissimo se DEVM mentietur, Si erit secundus adolescens, cuius Salomon meminit, Si erit quartum illud, qđ Salomoni feliciter incedit, Si Papa est re vera CHRISTI Vicarius, Si ipse aduersa sentit, Si Pontifex Romanus oẽs Antichristos ipse cõdemnat, Si Papa nõ negat IESVM Christum incarnatum esse, qđ tñ Antichristus faciet, Si Antichristus in- Epilogus Libri.

Digitized by Google

quiet apud D. HYPPOLITVM, Negate Deum crucifixum, nego Creatorē Cœli ac Terræ, nego Baptisma, nego adorationē, & hæc Pōtifex DEI execratur, Si Antichristus seipsum asseret CHRISTVM, Si Antichristus mori se ac resurgere simulabit, Si Antichristus, vt ex verbo DEI inquit glo-
S. Bruno. riosus Patriarcha Carthusianorū D. BRVNO in 2.2. ad Thess., occidetur, sicut e volumine Danielis intelligimus, in monte Oliueti, in papilione, in solio suo, illo videlicet loco, quo DOMINVS in Cœlum ascendit, Si Antichristo, vt in D. HIP-
S. Ephrē. POLYTI ac D. EPHRÆM to. 1. est, signū Crucis interdicet oībus, qđ Præsul Ecclesiæ DEI p̄cipit oībus, Si Antichristus extollet se supra DEVM, Si Papa humiliat se sub oēs, Si Antichristus non dicet vmquā se Vicariū esse CHRISTI, Si Antichristus se supra oēs Cœlites & Ecclesiā efferret, Si Papa se oībus Cœlitibus & Ecclesię supponit, Si Antichristus subdetur Satanę, ab eoq; exagitabitur ac possidebitur, Si Antichristus erit libidinosus, si Papa est castus, Si Antichristus decipiet Ecclesiā, Si Papa hāc custodit, & deceptores eius prodit, Si Antichristus Imperij Romani vsurpator est futurus, Si Papa eius custos & tutor est, Si Antichristus seipsū proditurus erit, Si Papa pro viribus CHRISTI protegit honorē, Si Antichristus signa falsa p doctrinæ falsitate faciet, Si Papæ nomina Antichristi ac notæ non congruunt, Si Antichristus erit sanguinolentus, Si ex locis Euphra-

Euphratis exoriturus creditur, cuius mētio fit in Apocalypsi, sicut aduertit D. ANDREAS Archiepiscôpus Cœsareensis c. 27. ex Apoc. Si Antichristus vnus certus singularis homo erit, vt Scriptura & Ecclesia tradit, Si Antichristus nullius penitus imagini cultũ exhibebit, vt habet Hugo Ætherianus lib. de reg. anima. c. 23. Si Antichristus, vt S. AGOBARDVS ser. d̄ S. Trin. animaduertit, caput est oĩum perditorum, Si Papa oĩum seruatorũ Pater est, Si Antichristus sāctum oĩum Sacerdotum ministeriũ, vt S. EPHRÆM testatur, cessare faciet, Si, vt idē habet tom. 1. met. de Ant., Antichristus vocē psalmi & orōnis prohibebit, Si ex spurcissima & salacissima nascet̄ muliere, Si Antichristus, vt vaticinat̄ D. METHODIVS Martyr à D. HIERONYMO laudatus li. de fin. mũdi, nascetur in Corozaim, nutrietur in Bethsaida, & regnabit in Capharnaum, Si Antichristus, D. IOANNE Apostolo & Archipropheta auctore, cum venerit, breui tp̄e manebit, Si Antichristus CHRISTO doctore, in noĩe suo venturus est, Si Antichristus miracula in alterius noĩe quã Papa faciet, Si Papa pro vera doctrina signa fecit olim, q̄ amplius nō facit, quæ nec necesse est fieri, Si Antichrist⁹ edet miracula p̄ artē Magicā, Si Antichristus per secretas naturę vires prodigia operabitur, Si Antichristus intelliget ænigmata, Si Antichristus ministros & tortores q̄ miracula operabũtur, habebit, Si prodigia Antichristi oēs

S. Andreas.

Hugo.

S. Agobardus.

naturæ

naturæ vires nõ superabũt, Si ignem de Cœlo descendere faciet, Si Papa non põt peccare in his q̃ ad Fidẽ CHRISTI referũtur, Si Antichristo resistet Enoch & Elias, Si heretici sunt exercitus Antichristi, Si Antichristus erit rex terrenus q ex humili & obscuro loco orietur, Si Antichristus subito de obscuro loco ad Regnũ ascendet, Si Antichristus vel p dolũ, vel p vim obtinebit Regnũ, Si Papa ius Monarchicũ vt CHRISTVS in toto mũdo hẽt, Si Antichristus tres Reges delebit, Si Antichristus in orbe Tyrãnus erit, Si octauus rex erit post septem reges Antichristus, Si Antichristus psequetur Sanctos, Si Papa Sanctos in Terra adiuuat, colit, & veneratᷣ, Si Papa Clauiger Cœlorũ oĩum est, Si Antichristus prohibebit baptizari, Si Antichristus sacrã Eucharistiã abolebit, Si Papa septem asserit Sacr̃a ab ipso CHRISTO instituta, Si Antichristus tpa & leges mutare conabitur, Si Antichristus regibus malis & mercatoribus impijs gratus erit, Si Papa nemini malorum Regũ ac Principũ gratus est, Si Antichristus nomen habebit, quod cõtineat *666*. Si Antichristus post discessionẽ Regũ ac Principũ à Romana Ecclesia adueniet, Si Antichristus tres annos & sex menses à reuelatione sua perdurabit, Si Antichristus à CHRISTO occidetur, Si Antichristus erit Vicediaboli, & Papa est Vicedeus, quomodo fieri vel excogitari possibile est, Papam vlla vllo modo Antichristi nota labefactari?

Causam

Causam hactenus docui κατασκευαστικῶς, eam nunc volente Christo, contra grauissimorum doctorum ἀνασκευὴν defendam. *FINIS.* Hæreticus.

Hucusque miser Anglorum processisti; nondum.n.te pœnitet, quod tam infeliciter cœpisti, tam sacrilege processisti, tam blaspheme finiuisti, adeo vt etiam promittas te velle tantam contra verbum DEI & Ecclesiam CHRISTI defendere impietatem. Sed rogabo ex prosapie Adæ frater & prçcio CHRISTI Sanguine redempte, ætate vero pater, vt desinas ab impietate, vt desistas ab iniquitate, vt ab hæresi cesses. Conuerte te, conuerte ad Dominum DEVM quem offendisti, qui benignus & misericors est, patiens & mitis, pater multarum miserationum. Agnosce tu ipse te, quia ignoscet ille tibi. Adhuc misericordiæ aditus patet, adhuc tempus miserendi est. Nisi te pœniteat, miser mortalium, quid futurum de te expectas. Iam Inferno proximus es. Iam tuam animam aueunt dœmones rapiendam, vt æternis flammis, perpetuis cruciatibus, supplicijs acerbissimis diuexent illam. Iam Iudex viuorum & mortuorum districte fert horribilem tuam æternæ mortis sententiam. Quid ergo expectas? Quare non times? Quare non trepidas? Cur non curris ad Ecclesiam CHRISTI Catholicam, quæ clemens & pia mater est? An ignoras, quod si te pœniteat, Angelos gaudio efficis, Ecclesiamq; lætificas? Curre, curre, & noli

Catholicus. Pia ad Vuitackerũ & Regem Angliæ adortatio.

amplius

Digitized by Google

amplius tardare, ne tempus te aufugiat, neue ocium pœnitentiæ tibi negetur? Res in manu tua est. Tuo exemplo Rex tuus ad gloriam DEI, ad Anglici Regni felicitatem, ad Ecclesiæ Catholicæ iucunditatem & gaudium Sanctissimæ EDILTRVDIS Britannicæ Reginæ atque Sanctorum Anglicanorum Regum OSVVARDI, EDILBERTI, EDVVARDI, Regumque ac simul Martyrum Anglicanorum EADMVNDI, EDVARDI, & complurium Angliæ Sanctorum incidenter adaugendum, & ad æternæ felicitatis, qua ipsi perfruuntur, gloriam acquirendam, pariterque cum eodem Rege Iacobo Primo Angli complures, vt in DOMINO confido, conuertentur ad DOMINVM DEVM & ipsius loco ad Vicedeum confugient, qui imitator est DOMINI sui, quique ignoscit pœnitentibus, ad se confugientibus amplectitur, in gratiam recipit, offert primam stolam, veniam impertit, & remittit quæcumque prius commissa fuerant in DEVM, quem falsa & hæretica docentes, Catholicos persequentes, explodentes, & interficientes maxime offenderunt, quem quidem tibi & illis hoc elargiri pro viribus meis, ita toto penitissimi cordis pectore precor, fiat, fiat.



FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3

Digitized by Google

